

8
15
74



ob sw

Pa. 179

ou


R

libb. juris

Zg. 73. IV.

Comptat 9 2
C. r. (s) i s. k. f. a
f. i. j. e. s. m. v. e. r.
o. m. n. i. u. m. o. r. u. m.







6
CAULICUS
POLITICVS:
DIVERSIS REGU-
LIS, PRAECEPTIS; SIVE
ut iCtus Iavolenus loquitur,
Definitionibus selectis, videlicet
CCCLXII. Antiquo-
rum & Neotericorum pru-
dentiae Civilis Docto-
rum instru-
ctus;

Cura & opera

DURI de PASCALO,



Hale Saxnum

Typis Wolfgangi Meisneri,
Impensis Iohannis Franci Biblio-
polæ Magdeburgensis.

clb. lb. IIIC,

STRENUO AC NO-
BILISSIMO VIRO
Domino

H. U. M.

antiqua virtute & fide præ-
stantissimo, litteris ornato, ac
litteratorum Patrono,

A D

*Veteris & felicitis amicitia,
familiaritatis, & conver-
sationis jucundiss: memo-
riam refricandam, & gra-
ti animi significationem
testandam,*

Monum. & pignus exiguum
amoris magni

Off. D. D.

DURO de POSCOLO.

Lectori S.

POLITICA, dis-
cursim si tractaveris,
quamvis nec peritis
nec imperitis satisfeceris:
hi enim neque recte eligunt,
neque probe dijudicant: illi
ipsi pro tempore, et re in
arena nata, de iis tanquam
non perpetuis differere no-
runt, et inde plus nudis
thesibus et theorematibus
tribuendum esse multi ex-
ercitati existimarint. Ta-

A 2 men

men ut peritorum & im-
peritorum auiditati satis-
fiat, Theses non Theses, ex-
emplo Guicciardini, Lot-
tini & Sansouini, premit-
tere aulicas volumus: hac
cautione praestita, ut eadē
exēplis, ex historiis petitis
stipata & illustrata, sine-
gotia & vitia inducias de-
derint, sequantur: interim
iis, facultatem & copiam
perpendendi istas diligen-
tius & inspiciendi accu-
ratus, relinquimus, qui-
bus

bus hoc facere libuerit, &
gratum fuerit: ita tamen,
ne cogitationes excitentur
impia, absurda & nocen-
tes: neve corrumpantur
iudicia, & ne deniq^{ue} omne
genus peruersitatis et pro-
fanitatis inducatur. Au-
tor, si & hoc scire aues, sa-
pe in hoc libello ex proposi-
to ταυτολογεῖ, & interdum
non persequitur eo ordine
quo instituit, nec exacte
& superstitiose bilem &
leges Logicorum obseruat.

A 3 Ro-

Rogat itaq³, ne quis pro-
pterea opusculum fastidi-
at: quod nemo faciet, qui
novit aulica raro ordine
bono tractari: Et magnos
viros rem ipsam spectare,
non verba captare, quod
est ex sententia Pauli IC.
calūniari, Et solide doctos
artemq³ sapientie tenen-
tes, istam curiosam inqui-
sitionem detestari.

Vale.

AULICVS Politicus.

I.

Xpendat admonenti-
bus prudentiæ magi-
stris, qui se dicare volt
Principibus, an semper occu-
patus, infelix surgere, labores
aulicos tolerare, famem per-
peti, sitim sufferre, invidiam,
calumniam, & contumelias æ-
quo animo sustinere: hono-
res, famam immortalem in ea
aula quam ingreditur, poten-
tiam, divitias, voluptates ad-
quirere: &, quod primum est,
pietatem exercere, animæ be-
atitudinem lucrari: &, quæ
Deo

Deo grata ac Reipubl. salutaria sunt, gerere, queat.

II.

Aulicus vir bonus, etiam optime de principe meritis, vix potest invidiam & everfionem effugere: carceres & alias calamitates, tum ad minimum vicissitudines aulicas. Exemplum memorabile, ut de veteribus nihil dicamus, & miserabilis casus, habemus in Papiniano, Petro de Vincis, Moro, Alvaro de Luna, Iacobo Corde, Otthone Crondorfer, in Columbo, quem foedè Bambadilla evertebat, in Cominaeo, Buffono, Confalvo, & aliis infinitis: nec desunt exempla & documenta in aulis
prino

POLITICVS. 3

principum Germanorum, vetera & recentia.

III.

Itaq; si hæc & alia quæ aulici scriptores recēsent mala, timet, aulam fugiat, & privatus vivat: qui, licet & suas sentiat difficultates, tamen opinione hominum nihil præstabilius mediocri vitæ genere privato: quod qui assequi, & tueri potest, is Cominæo videtur felicissimus:

*Felices quibus obtigit
Sors, nec sūma, nec infima:
Sed sane modica: Et quib⁹
Castos annuit aurea
Nancisci thalamo Venus,
A S in-*

inquit Eurip. Et aureum Senecæ illud:

*Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi.*

Eleganter elegans, eruditissimus & gravis Poeta:

*Præstat supellex sobria,
Recteque parata recula:*

*Quam raptâ per vim, divitum
vitum*

Fastidiosa copia.

Quod vulgariter exprimunt:

*Cum dat oluscula mensa
minuscula, pace quieta,
Ne pete grandia: lautâque
prandia lite repleta.*

Consi.

IV.

Consideret & hoc: *Paucos in aulis bonos inveniri. Est enim tralatitium, ad aulam & bellum paucos bonas artes adferre: & barbare, tamen vere veteres dixisse:*

In aula Regis non est multum legis:

Si qui sunt boni, coguntur esse ovot:

Si qui sunt mali, sunt in gratia regali:

Si qui sunt ceteri, ferme sunt bibuli.

Animus tamen est, qui vitam aulicam, ut omnem aliam vel suavem, vel molestantem, & acerbam reddit, & qui commendat omnia, à quo, si vir bonus impetrare potest, aulæ pelagum & mare inquietum, in quo infinita sunt monstra, magno & recto animo, Dei ordinationem perpendens, ingrediatur, effæminatorum hominum Philosophiam, simulatam & momentaneam contemnens.

Licet Basilius Magnus, Petrarcha, Antonius de Guevara, multiq; alii, vitam privatam & solitariam suaviter & erudite

P O L I T I C V S.

dite commendent: toto tamen
 cælo aberrat, qui vitam pri-
 vatam solam per se beatā exis-
 stimat: nullum enim est tam
 insulsum & impium factum,
 quod autore careat inter pri-
 vatos, & privati, ruptis ll. for-
 mulis, ruptis veritatis & ho-
 nestatis repagulis: partim in-
 scitia, partim improbitate,
 quicquid volunt, agunt: Et
 nunquam prudentia & beati-
 tas humana meruisse potuit,
 ut id quod naturæ universæ
 cōmuniter accidit, in eo quis
 privatam aliquam præ ceteris
 felicitatem sibi polliceatur:
 nisi solo animo adverso corri-
 gat. De omnibus enim tam
 privatis, quam aulicis dictum:

A 7

Ma

*Maledicta terra in opere
tuo : in sudore vultus tui
vesceris pane tuo.*

Et illud :

*Ambitiosus honos & opes
& fœda voluptas,
Hæc tria pro trino numi-
ne, Mundus habet.*

Non itaq; aulam, sed mun-
dum universum fugiat, qui be-
atam vitam quærit.

*Ve soli homini : solus homo
est pecus, Deus ve :*

*Te animo populis subtra-
he, non pede : atq; dura.*

Ves

POLITICVS
VII.

Verum postquam fit
*Aula locus, fortuna suos
ubi lubrica ludos
Ludit, & eludit nunc hos,
nunc dejicit illos:*

Is qui aulam ambit, historia-
rum & linguarum cognitio-
ne, eloquentiæ & juris præ-
ceptis bene instructus (de ta-
li enim agimus) in principio
Principium, videlicet Deum
Opt. Max. ardentibus votis
pronus invocet, ut in vastissi-
mo pelago ac monstrifero in-
ter Scyllam & Charybdim na-
vigantem, gubernare & cu-
stodire velit, ne aulicus plus
crea-

creaturam : hoc est, principem, quam creatorem Deum, colat: ne cuiquam noceat, sed sua & necessaria agat: & tandem ad portum æternæ, & cælestis aulæ perveniat: cotidie clamans serio;

Tu rege consiliis actus, pater optime, nostros:

*Nostrum opus ut laudi
serviat omne tua.*

VIII.

Aulicus divina gratia & ope munitus, legitime inter aulicos cooptatus, reliqua credit Deo: ipse viam inveniet facilem, & rem omnem ita diriget, ut aulicus feliciter enarrare & vivere possit. Aulice.

Crede

POLITICVS

Crede Deo te, remq̄ tuam:

Et spe falle dolorem:

Eventus pia fata dabūt:

prece victa, secundos.

Sic.

*Fert placide casus, nec ab
ordine cedit honestas.*

IX.

Deinde cum ex sententia
Egesippi, dignitate dominan-
tium, ministrorum obsequia
ornentur, & vivere sub prin-
cipe potentissimo libertas sit,
Luca de Penna referente: que-
rat potius, potentissimi Prin-
cipis, quam infirmi: & liben-
tius prudentissimi, quam po-
tentissimi aulam.

EX

X.

Ex sententia Scaligeri istius
Magni,

*Aulam reperit qui bonã,
Et utilem Et fidelem,*

*Me autore sequatur, duce
me meq; sequente*

*Si quis queritur, nec fu-
git, hujus miserebor?*

XI.

Aulicus tanquam exerci-
tatus Medicus, debet prævi-
dere in exordio vitæ aulicæ,
quid sperandū quidve timen-
dum sit in aula: neque plus ti-
mere, neq; plus sperare quam
convenit. Facile enim potest
cogno-

cognoscere, spes num sit ponenda in augmento vel declinatione: quo cognito, prognosticon instituat & consilia dirigat.

XII.

Quam diu hæret in aula,
 det operam Principibus sub-
 jectissimus:

*Danda opera est magnis,
 sed non cum vulnere
 mentis:*

*Danda opera est magnis,
 sed comitante metu.*

*Et assuescat quantum po-
 test malis. Scalig.*

*Præsenti animo composi-
 tus perfer Et insta,*

*Assuesce malis, quo domi-
tes necessitates:*

*Non te mala laedent: nisi
te ea laedere dicas,*

*Adversa acuunt magna-
nimum, prospera mollē,
Labor ipse laborem abdi-
cat dolor dolorem.*

*Suique Dominus semper
maneat.*

*Te capere, effundere te,
pati q̄, disce,*

*Te cogere, laxare, repasti-
nare: sic te*

Co-

*Cogens, neq; cogis, neq; co-
geris coactus.*

XIII.

Cum vero miserabilis sit
aulicorum conditio, in primis
si post maxima pericula & la-
bores domi & foris exantla-
tos, tandem fraude & calu-
mnijs scelestissimorum & im-
pudico rabulæ & canis curia-
rum, ore, debent cadere, be-
ne sibi prospiciant aulici, in
exordio, cum Principibus cō-
trahentes, & formam obliga-
tionis amicis in aliis regionis
bus degentibus, tradant: ne
tempore necessitatis (ut fieri
solet) repetatur & probatio-
nis materia auferatur.

Cum

Cum Principes ut plurimum libertatem dicendi ferre non possint, & vindicta libera vota corrigant, mirum non est, plerumque deesse, qui illos ex animo & sincere moneant: cum, P. Camerario referente, perpauci inveniantur, vel prope nulli, qui ipsos ac non fortunæ splendorem, & suas commoditates sequantur.

XV.

Bonus Consiliarius aulicus, non debet tamen celare veritatem Patriæ & Principi utilem, etiamsi in periculum vitæ inciderit. Melius enim est & laudabilius perdere vitam, quam suppressere falubre con-
siliu

filium: & mortuum veracem
 plus diligit Princeps, quam
 adulatorem vivum: & here-
 dibus mortui, compensabit
 justus & prudens princeps.

XVI.

Bonum aulicum consilia-
 rium nec tempus immutat, nec
 rumpit necessitas, nec inso-
 lentia exulcerat, nec impro-
 bitas malorum hominum de-
 fatigat. Sed cum Socrate,
 semper idem manet.

XVII.

In aula periculosum est di-
 cere veritatem: maxime in iis
 rebus, quas princeps prudens
 discernensq; fideles ab infi-
 delibus consiliariis, & dijudi-
 cans

cans quæ sit in contrariis sententiis potior, constituit aggredi: & quas tanquam utiles & honestas probat: nam si feliciter successerint, amittit aulicus autoritatem & gratiam: si tacuerit, & consilia finem non sortiantur optatum, tanquam perfidus accusatur:

Consultius itaque semper viriliter dicere sententiã, quam tacere.

XVIII.

Non enim ad horæ momenta dicere sententiam debet: verum ita ut post mortem principis eam tueri, & patris consilia post multos annos liberi defendere possint. Paucis enim

nim

nim natus est, qui consilia ætatis suæ tantum cogitat.

XIX.

Aulicus primum profere-
rens votum, in publicis deli-
berationibus, caueat ne ille fe-
li statim primus tintinnabu-
lum appendat. Difficilis enim
& periculosa est in omnibus
actionibus prima vox: pru-
dentiori subsequuto ad hæreat,
eiq; cedat: ita tamen,

*Ne consiliis alterius regi
recuses:*

*Esto illius, atq; esto tuus,
tuum serua*

*In posse tuo velle, modū in
velle alieno.*

XX.

Aulicus Confiliarius aper-
tus in rebus periculosis & gra-
nibus aperte, in causas de-
scendere, nec huc vel illuc in-
terpretationem trahere, vel
incerta differere, prout con-
ducit: sed scapham scapham,
appellare debet.

XXI.

Aulicus ingressus aulā, dif-
cordias inter aulicos depre-
hendens, nulli adhæreat par-
ti, & se neutralem conseruet:
vel eligat illum, qui maiori
prudentiæ vel firmioribus fun-
damentis nititur. Nam hic æ-
muli potentiam facile franget
& ipso iure: quamvis regula-
riter neutralitas sit fugienda.

La

La neutralità non assicura da nemici.

Et questa non conserva gli amici.

X XII.

Aulici oculati esse debent, & nunquam sine suspitione degere, nec facile cuiquā credere, quantumvis in speciem amico nec arridēti, nec complexanti, nec ut ait Erasmus, deieranti.

Fide parum multumque vide: nam fidere multū, Et vidisse parū, maxima damna parit.

Lepide Scaliger:

B 2

Cla-

*Clarissima sententia: con-
fidere paucis.*

*Sed clarior est altera: confi-
dere nulli.*

X X I I I .

In quacunque aula vixeris,
noli summa nec infima am-
bire: in medio ~~tutissimus~~ ibis.
Potius ad summum vel imum,
quam in summo vel imo. Ex-
trema caue, -- mediis tranquilla
triumphant.

*Si sapias, affectes, medio-
cra. summa periculis
Obuia: contemptum sordi-
da vita parit.*

Item:

Si sa-

*Sisapis, alta fuge, aut timi
de utere luce potentū:
Concidit in puncto gratia
longa breui.*

XXIIII.

Qui arduis negotiis expediendis, cum magnis principibus versantur, similes sunt per prærupta repentibus, semper timent, sæpe titubant, & subito corruunt. Itaq;

Contra Rhodanum ne stolidè nat arc tentes:

Contra Boream ne temere flare ruentem:

Contra Pelagi streperum clamare tumultum:

Contra

*Contra ensiferum rabie
certare.**Tyrannum, inquit Scaliger.*

XXV,

*Aulici itaq; stulti sunt qui
opinatur existimationem sal-
ua esse non posse, nisi in illorū
manibus negotia recumbant:
Si aliorum exemplo sape-
rent, in primis arcana ne-
gotia fugerent, nudis libel-
lis supplicibus expediendis
contenti: adhibiti gravio-
ribus, raro felicem & per-
petuum cursum, etiā pru-
dentissimi sortiti sunt.*

In pris

Inprimis videat aulicus ne
 nisi coactus mandatis & iussio-
 nib. se immisceat Principum
 matrimoniis, & arcanis solus.
 Experientia enim testatur,
 proxenetas nuptiarum & ar-
 cana aliis exclusis tractantes, in
 ingēs discrimē, felici successu
 non secuto, coniectos fuisse.

XXVII.

Aulicus cautus sit, ne Prin-
 cept animaduertat, quod ve-
 lit Principe prudentior habe-
 ri & esse: Princeps enim licet a-
 met homines, qui sunt negotiis pares,
 tamen non fert libenter, qui seipso
 doctrina & experientia in rebus ciui-
 libus præstantiores consentur.

Cor-

XXVIII.

Cordati tamen & graues
 aulici, nunquam ita se dimit-
 tere debent: vt approbent
 sententias seruiles, nec for-
 midare Principis iram, quo-
 minus quæ recte sentiunt, li-
 bere dicant.

XXIX.

Fridericus Imper. optabat
 vt aulici Consiliiarii iudicatu-
 ri de rebus propositis, duas res
 ante pallatium in vestibulo
 deponerent: simulationem vide-
 licet, & dissimulationem. Quod
 innuit quoque Inscriptio in
 curia Ratisbonensi, quæ ex-
 stat in tabula marmorea, au-
 reis literis: & docent prudens-
 tissimi Veneti illustri exem-
 plo

plo alios : qui solent antevestibulum curiæ privatos affectus apud S. Marcum deponere.

XXX.

Quamvis aulicus Consiliarius propter virtutem, ingenium, eloquentiam & gratiam Principi sit acceptus : tamen nunquam irrideat alios, nec se ipsum admiretur, ne inde interitum sibi accelleret : quem non vni hanc ob causam contigisse scimus, viris alioquin bonis:

Plus dimidio fallitur, exciditque vero.

Mirans sua, Soli comparans seipsum.

B 4 Soli

Philantia nil inquam mo-
uit boni:

Soli qui sibi placeat, cete-
rosq; spernat,

Is si à reliquis spernitur: hic vendit,
emitq; XXXI.

Omnes aulici Consiliarii,
qui magnarum rerum consi-
lia suscipiunt, cogitare debent
sedulo, an quod aggrediun-
tur Reipubl. utile, Deo gra-
tum, gerentibus gloriosum
& promptum effectu, vel cer-
te nō arduum sit, male itaq; ege-
runt ii: & minus prudenter, qui sue-
rūt auctores Impp. Ut efficerent, ut ē
Danubio in Rhenum nauigaretur.
Idem de similibus iudicium
esto.

Auli-

XXXII.

Aulici Consiliarij qui ad di-
 uersas curas & opiniones tra-
 hūtur, & sunt irresoluti in au-
 lis, non magnifiunt: sine igitur
 prompti in animi cogitati-
 onibus explicandis, & constā-
 tes in iis defendendis.

*Ne te instabilem crastina
 deprendat hora:*

*Si consilio sunt sapiente
 constituta:*

*Mutare alioquin mala
 destinata, virtus.*

XXXIII.

Cōsiliarius siue legatus au-
 licus egregia negotia quę inci-
 pit, debet occultare, quousq;
 ad

ad exitum perducta fuerint :
 alioquin multi moti inuidia ,
 ea impediunt , vel prudentiæ
 detrahent , quod non citius
 finem actioni imposuerint : in-
 ferat itaq; ictum , antequam
 sentiat alius.

XXXIV.

Prudens Consiliarius effi-
 cere debet , vt nunquam sine
 negotiis viuat ; nam varia ne-
 gotiorum tractatio magnam
 affert aulico existimationem.

XXXV.

*Falsa referre pudet , vera
 referre nocet.*

inquit ille ; at eo non attento,
 consiliarii , qui negotiorum
 relationi , ex qua Seneca ius
 oriri

oriri dicebat, præsumunt, fideliter referant & narrent, ne Princeps falsæ relationi credendo, multa iniqua mandet, quæ aliàs non iuberet: & referendarii mendaces dicantur.

XXXVI.

Cuncta, inquit Tacitus ad Imperatorem, *in mollius relata*. Quod obseruent omnes aulici, neq; addant in referendo igni oleum.

XXXVII.

In magnis negotiis & deliberationibus, quod ob esse, & nihil prodesse potest, silentio debet inuoluere prudens Cōfiliarius: eo enim casu Oratorium est, tacere.

Gravis iactura loquela est.

B

S

CON

XXXVIII.

Consiliarius aulicus summo-
 pere curet ne neglecto Prin-
 cipe, vel consensu eius exclu-
 so, quicquam etiam vtiliter ge-
 rat, in primis si longe non ab-
 fuerit: alioquin tanquam con-
 tentus offenditur. Itaq; mi-
 nus barbare egit Mahome-
 tes Visir primus, trium Otto-
 manorum Consiliarius, qui
 etiam rem minimam, quam-
 uis se id facere posse, certo
 sciret, in scio Principe, deter-
 minare noluit.

XXXIX.

Legatus aulicus qui idem
 Consilarii officio fungi solet,
 nihil in mandatis propria au-
 thoritate, occasione rei melius
 geren-

gerendæ, mutare debet; sed omnia ad præscriptam legationis formam referre vel principem super noua & incidenti causa consulere.

XXX.

Quod enim iura ciuilia statuunt, mandati fines quandoq; licere excedere, si rem commissam plenius & melius expediueris, quam iussus eras: tamē id de rebus priuatis, non etiā publicis recte accipimus: in his enim non utimur interpretatione; inde Valerius Romanos ait, *legationem quibus acceperant verbis, peregisse.*

XXXI.

Legati, oratores, interpretes, nuncii siue tempore
 B 6 belli

belli, siue pacis, temporarii,
siue perpetui, rei dicendæ vel
agendæ causa, mittendi, de-
bēt explorare suas vires: neq;
munus illud, cui se putant im-
pares, subire. Recte enim
Ictus Gaius: *Non videtur iniquum
si infirmitas culpæ adnumeretur: cum
affectare quisq; non debeat in quo vel
intelligit, vel intelligere debet infirmi-
tatem suam alii periculosam futuram.*

Ergo

*Certo modulo te, Et tua
metire probando:
Ne scande locos, e quibus
inde sit ruendum.*

Scalig.

XXXII.

Legatos enim aulicos oportet,
tet,

tet, inquit Cominæus, esse homines peritos, & circumspetos.

XXXIII.

In legato etiam pulchritudinem requiri imprimis apud barbaros, prudentes existimant, Nam in corporum maiestate, venerationem esse liquet. Sic Alexander Magnus despectus a Regina Amazonum traditur: quia non eam pulchritudinem in maximo illo Rege reperisset, cuius ingentis rerum gestarum famæ rumore percita, ad ipsam venerat.

XXXIV.

Sic Cato Stoicus, in legatos populi Romani iocatus fuisse

B 7 legi-

legitur: quorum unus lapide
quodam in caput percussus,
foedas cicatrices præfererat:
alter pedibus laborabat: dicēs:
*Mittit populus Romanus legationem,
quæ nec caput nec pedes habet.*

XXXV.

Aulicus legatus ita peragat
legationes, ac omnes actiones
instituat, ne homines dicant,
*Legato deesse os: hoc est, talens
esse, quem nihil pudeat.*

XXXVI.

Legatus ut aptus mittatur,
ante omnia studendum, quā-
vis multi Principes vix cogi-
tent, quem mittere velint. Sic
Ludouicus XI, barbitonso-
rem. Inprimis mittant Prin-
cipibus acceptissimos.

XLVII.

Legat.

Legatus sit celeri ingenii motu præditus, vt argute, & eleganter proponat &, respōdeat: dicat agatq; solerti iudicio ante cogitata & non cogitata. Sunt enim actiones plerumque tales, quæ tempus ad consultandum non præbent.

XLVIII.

Consiliarius legatus & orator quamuis facundia excellere debeat, & nomen quod habet re comprobare: tamen simplici, nudo à coloribus, figuris, luminibus, sermone vti debet. illa enim ratio dicendi personæ principis, cuius nomine mittitur, conuenit. Sermo enim legati sit sententiarum

rum

rum & rationum pondere magis, quam eleborata dictione illustris: sermo potius quam oratio. sermo tamen purus sit, fucatus molestus est.

Nec tardiloquum, nec celerem nec incitatum:

Nec qui levis incurfibus, impotens tui sis:

Volo te compositum, te iubeo dicere tractim.

inquit insignis Philosophus & Orator.

XXXIX.

Legatus aulicus teneat linguam illius apud quem legatus est, vt multa incommoda inpediantur. Discant itaq; nobili-

biliores, vt iis in immutanda oratione, qua prudentes Principes delectantur, vti queant. Latina alioquin bene intellecta, sufficit: nam imprudenter Nicephorus homini imponit, omnium linguarum addiscendarum onus. Nec Mithridates linguas **XXII**, sed idiomata calluit.

L.

Legatum Philosophum meriti, vix admittimus, nisi fuerit imbutus historiarnm cognitione: nam quæ futura sunt, plerumque paria iis sunt, quæ iam facta sunt: quæ nosse debet legatus, quia Politicus.

LI.

Illud scimus, temperanti-
am vo-

am voluptatibus & cupiditatibus dominari. Itaque aulicus & legatus conuiuia vitare debet. Nam solutus vino & aliorum fabulis prouocatus, facilius labi, & auctoritatem amittere potest: cum sit voluntaria insania, & ingenii sepultura, Augustino teste.

LII.

Iuris consulti disputant, An aulico tanquam legato oblata, pertineant ad aulicum, vel principem qui obligauit. Sed consuetudo obtinuit, vt legato relinquatur, nisi ex qualitate doni aliud præsumatur.

LIII.

Refert Valerius legatos quondam Romanos munerari qui-

ra quidem accepisse, sed detulisse etiã in erariũ: & quidem priusquam ad senatũ legationem referrent: existimantes, de publico ministerio nihil vnquam præter laudem bene administrati officii, debere priuatis accedere.

LIV.

Legatus aulicus sit temperans & sobrius, in primis eo tempore, quo proponenda erit legationis sũma vt Xenocrates Atheniensium legatus eũ incurrere nollet, dicitur nec quicquã voluisse, aut gustare prius, quam legationem suam exposuisset.

LV.

Licet Honorius & Theodosius

sius Impp. rescripserint alieni regni arcana non scrutanda. tamen legatus reversus omnia ea narrare debet quæ ad rempubl. videntur spectare. Vid. mores, religionem, & leges gentium, regionum situm, arces, ciuitates, vestitum Principum, Consiliariorum qualitates, origines: familias, potentiam, opes, ædificiorum formam, &c.

LVI.

Aulicus semper sit Principi auctor, vt legatos non etiam a deo gratos splendide excipiat, magnifice tractet, clementer audiat, liberaliter dimittat, ne quam habeant occasionem de inhospitalitate conquerendi.

Auli-

L. VII.

Aulicus consiliarius & legatus semper plus timeat de bono exitu, quam speret: ne incuriosius commissa tractet, fiducia felicitis exitus: aliàs curiositatem in omnibus aliis, fugiat, auctore Plutarcho: nã si eam validam alendo reddiderit, & violentam is propter consuetudinem deinceps difficulter eam cohibere in iis poterit, quæ curare non liceat. In aulis usque adeo est curiositas grata titillatio, vt inhiberi nullo modo possit.

LVIII.

Vt dissensio ducum in bello ad augendos & provehendos hostium conatus multum prodest:

C

dest:

dest: sic etiam consiliariorum
disiunctiones illis, contra quos
consilia dirigere debebant,
subueniunt.

LIX.

Consiliarius prudens aulicus,
plus mentis quam verborum
in sermone relinquat, &
cum magnis viris studeat esse
brevissimus in re sua tractanda.

LX.

Consiliarius aulicus cum
aliquid magni momenti vult
tractare cum Principe, eligat
commodam occasionem, &
initium faciat de re grata &
nova. Si enim aliis negotiis sic
intentus Princeps, parum gra-
te audietur Senator vel alius
aulicus.

Multa

LXI.

Multa sub prætextu legationis callide & malitiosè fieri solent; itaq; varie instituendæ sunt: *infinita enim perniciofa sub legationum specie tractari dicebat.*
Cominæus.

LXII.

Conducit vt legati & consiliarii fuerint decepti: qui. enim nunquã circumuentusest, truncum esse dixeris potius, quàm hominem: propterea quod inter paruum & vitiosum quid interfit, diiudicare nequeat.

LXIII.

In negotiis principis tractandis conseruet legatus & consiliarius dignitatem: verũ

eam statim amittet, si dixerit, principem non esse plene resolutum: ex eo enim variæ sumuntur coniecturæ infirmitatis & imprudentiæ.

LXIV.

Consiliarius & legatus aulicus bene vivat, & verum intelligat, quod est sapientiæ: bene consultet, quod est prudentiæ, bene velit, quod est iustitiæ, & bene agat quod est perseuerantiæ.

LXV.

Aulicus consiliarius in eam deliberatione, quæ de rebus politicis suscipitur, bene consideret, vnde minora aut maiora absurda sequantur: eamq; sententiam pro optima habe.

habeat, ex qua pauciora incō-
moda oriuntur, quæq; proxi-
mius ad decalogum accedit.

LXVI.

Aulicus consiliarius sciat
nullam ad euitandos errores
commodiorem esse viam, quā
egregia cogitare, selecta &
pauca loqui & agere, illaq; ho-
nesta & licita Reipubl. inpri-
mis vniuersæ necessaria.

LXVII.

Aulici Consiliiarii reuera
miseri, à seruorum & manci-
piorū specie parum differunt,
qui ex scrinio gynecæi, vel au-
lici concionatoris cerebro &
præscripto, consilium tumere
mutuò, vel tanquam promu-
tuum: &, ne priuentur offi-

C 3 cio,

cio subscribere duorum triumve opinionibus, in causa salutis coguntur vt prima syllaba *sub* vel *suppe*, salua fit; talis aulicus.

Aut fuit, aut semper postulat esse miser.

Et Theodoricus Afer tales Ecebolos trucidari iussit dicendo: *Si Deo fidem non seruasti, quomodo homini sinceram conscientiam seruabis?*

LXXIII.

Aulicus nobilis vel ignobilis qui nō est consiliarius, qualis esse & in quibus se exercere debeat, hīc tractare non est nostri propositi: tales itaq; ablegamus ad elegantem tractatum de aulico Comit̄is Castellionē:
huic

huic tamen, & nostro commu-
nia, subiiciemus.

LXIX.

Aulicus in maiorum suo-
rū nobilitate ne delicias, vt A-
gapetus ad Iustinianum Imp.
scribit, faciat, Cuncti enim pri-
mum parentem habent coe-
lum & limum, tam ii qui in
purpura superbiunt, quàm qui
paupertate afficiuntur atque
morbo: tam qui diademate
redimiti sunt, quàm qui per
cubicula excubant. Ne igitur
superbe auitum iactemus ge-
nus lutulentum, sed probita-
te & integritate morum glori-
emur. Ante omnia videat,
ne sit ignauus nobilis, ne illi
dicatur.

C 4

Audi

*Audi Nemesis: sancta vide qualia
monstra.*

*Immanibus ingeniis statuere trium-
phos.*

*Iactant otia parta negotiis paternis,
Ac ignava nobilitate gloriatur.*

LXX.

Aulici & vere magnanimi
laudabiliter tamē faciant, in-
ter angustias fortunæ auitum
nobilitatis genus retinentes,
vel interruptum ab obliuione
vindicantes.

LXXI.

Aulicus videat ne super-
bia & fastu nobiliores & alios
os præclaros viros offendat,
inuidiamq; in se concitet,
si ex humili loco ad id fasti-
gii euehitur, vt nobilissimos
anteceat: inprimis si nuda
graz

gratia, vel per malas artes,
 non claris factis. Nam in hac
 misera vita, vt eleganter & pie
 Comineus loquitur, nihil po-
 tius ducamus, quam vt me-
 tuamus diuinum iudicium, &
 studeamus in rebus omnibus
 æquitati: neq; defatigemur iis
 curis, quales fere suscipiuntur
 à multis nimia quadam ambi-
 tione & cupiditate augescen-
 di:

Ergo.

*Fortunam reuerenter habe, quicumq;
 repente*

Dives ab exili, progrediare loco.

LXXII.

Aulici noui homines qui
 volunt ignobilitatem suã ma-
 gnis nominibus ficto genere,

C 5

NON

non virtute inferere, deridiculi sunt & habentur: vt & illi qui econtra tantum sordidum genus & originem obscuram amant, tantummodo aurum & argentum quærentes, & tanquam summum bonum exoptantes, genere in matrimoniis contrahendis & aliis, neglecto.

LXXII.

Cum omnia quæ nunc vetustissima creduntur, noua fuerint, neque origine careant, vtriusq; præmia desideret naturaliter: & difficilis sit veræ nobilitatis definitio; prudens aulicus generis splendore insigni dono Dei coruscans, aulicum propter nobilitatem

recens

recenter adeptam, eaq; dignū
ne contemnat, cum eiusdem
sint generis, virtutis conditi-
onem si considerauerimus: sed
repetat illud tritum:

*Esto quod es: quod sunt alii, sine quem-
libet esse.*

*Quod non es, nolis: quod potes, esse
velis.*

*Si enim, inquit Apuleius,
laudas aliquem quia generosus est, pa-
rentem eius laudas: si si vero, quia
dives, fortunæ hoc debetur, si cum
laudas, qui bonis moribus & artibus
doctus sit & valde eruditus, in toga-
ta vel armata scientia & militari,
quantum homini licet, tunc ipsum vi-
rum laudas, non aliena.*

LXXIV.

Ex dignitate & præstantia
formæ

formæ & faciei aulici, animi
 haud degenerem colligere
 princeps, & corporis forma
 præstantem præferre defor-
 mi debet, vt supra dictum.

LXXV.

Aulicus præter & super ex-
 perientiam, sapientiam & e-
 loquentiam, etiam sit specie
 inanium validus, vti moribus
 exquisitis, corporis elegancia
 & proceritate, vestitus splen-
 dore, tum omnium reru ma-
 gnificencia, quæ congruenter
 in omnibus, Aristotele docē-
 te, instituenda: alioquin desi-
 nit esse magnificencia.

LXXVI.

Omnis aulicus in aula ob-
 seruet, vt habeat frontem a-
 pertam

POLITICVS. 55

per tam, linguam parcam, &
mentem claufam: & ne sit ge-
stuosus.

Ne gesticulatim loquere, aut caput
manusq;

Iacta. Nimis hæc optima dicta deueni-
stant.

Sed nec sic, quasi cum quo alio leuis
loquere.

Spectes aliorum: tua frons sit aëtia
fronti,

Sed utrumq; modesti dabis, alterna re-
ponens.

LXXVII.

Si aulicus sub principe pe-
riculum & inuidiam effugere
cupit, a nemine alio sibi offi-
cia dignitatesq; deferri patias-
tur, præterquam ab iplo prin-
cipe,

LXXVIII,

Auli-

Aulicus non perpetuo ad-
fit Principi, neq; diu nimium
absit: quorum alterum, parit
odium & facietatem: alterum,
obliuionem.

LXXIX.

Aulici enim prudentes cum
 Principe tanquam cum igne
 agant: a quo non adeo abe-
 runt, ut illius calore foueri nō
 possint: nec sic illi appropin-
 quabunt, vt illius incendio i-
 pſi conflagrent.

LXXX.

Vt etiam cum commodo
 tuo absis, ambiendæ sunt le-
 gationes fauorabiles, nuptia-
 les & similes, vel tantum ho-
 norificæ: & hoc pacto aulicus
 semper nouus redit.

Inno-

LXXXI.

Innocens inuidiam aulicus
 equo animo caute contemnat,
 & recte agendo, & vera dicen-
 do, inuidiam marcescentem
 rebus alterius opimis, vincat,

Resse inuidia est refugo comparata
 telo;

Telum, solidi si quid ei se obiicit,
 inde

Retro resilit, nec nocet huic cui mi-
 natur:

Quin & reddit, & vulnerat ipsū arci-
 tenentem. Itaque

Aude animo inuidiam contemnere, non
 nocet illi.

Quem petit: auctori sed nocet illa suo.

Nam
 Sela inuidia fosse vna febre, tutto il
 mondo morirebbe.

LXXXII.

Auli.

Aulicus mordaces inuidorum in se sermones lepide & ingeniose repercutere, non magna vehementia refutare debet. Vt puta Hispanos, asserentes, etiam in Hispania fuisse qui reperisse Indiam, verecunde Columbus irrisit, & respondit nihil: sed ~~ouo~~ afferri in triclinium iussu, & mensae imposito, verso ad omnes sermone: Agedum, inquit domini mei, cum quolibet vestrum deposito in coenam pignore certo, neminem eorum, qui hic sunt, facturum ouo isto, quod ego facturus sum, videlicet vt nullo nixum adminiculo stans & erectum in pedem suo opte nutu maneat: periculum

riculū fecerūt omnes, neq; vli illorū successit: sed ipse Colū bus ovū altero eius fastigio vel angulo mensæ illiso, ac leuiter quassato, rectum firmumque constituit: significans id iam omnibus factu facile, postquam ipse primus probasset, & Americam inuenisset.

LXXXIII.

Inuidia communis pestis aulica: quæ vt nomini conuascitur, ita Bald. scribente, inter pares, vel apud inferiores quoque solet oboriri, nullis remediis potest curari, & imminui, quam humanitate & affabilitate.

LXXXIV.

Casum, occasum patiens re-
petat



petat consolationis loco Illud
Macrobi:

*Non possunt primi esse, omnes omni
tempore.*

*Summum ad gratum claritatis, cum
veneris,*

*Consistes agrè, & citius quam descen-
das, decides.*

*Cecidi ego, cadet qui sequitur, laus est
publica.*

Parua enim, inquit Polybius,
us, temporis interualla homi-
nes in excelso fastigio collo-
cant, & eosdem rursus ad ex-
tremam miseriam ac calamita-
tatem redigunt, atque eos ma-
xime qui in aulis principum
vitam agunt. Hi enim similes
sunt calculis in publicis
consiliis dari solitis: nam, vt
illi modo ænei, modo aurei
dantur

POLITICVS. 61

dantur: ita aulici pro regis voluntate nunc beati, nunc miseri fiunt.

*Lubrica namq; via est: magni cecidere,
cadentq;*

*Est mihi quiq; hodie, cras tibi casus
erit.*

LXXXV.

Neq; semper damnosa aulico talis mutatio Mantuano teste:

*Pluribus excelsa vel opum, vel honoris
ab arce,*

Profuit ad modicæ fortis cecidisse quietem.

Et hoc pacto vilis mundus redditur iis, qui æternum spectant: præsentis enim vanitatis contemptu imbuti, mundum nonne negligenter?

LXXXVI.

Nau.

Naufragium semel passus
 aulicus in aulæ pelago, iniuste
 Neptunum incusat; nam si iterum
 vult ingredi, non deerit
 occasio; nam *vis temporis omnia
 soluit.*

LXXXVII.

Qui volunt sub aliquo prin-
 cipe facere magnos progres-
 sus, contentur seruitio prom-
 ptissimos se exhibere: abrupta
 enim contumacia non solum
 progressus aulici interrumpit,
 sed eos frangit & tollit.

LXXXVIII.

Aulicus qui a principe pro-
 uehi cupit, semper studeat an-
 te illius oculos versari, & ab eo
 conspici. Sæpe enim repentina
 ingruunt negotia, quæ princi-
 pes

pes illis cōmittunt, qui prius
ipforū conspectui offeruntur.

LXXXIX.

Aulicus qui sapit, semper
futuris & periculosis tuta &
præsentia, dummodo hone-
ste fieri potest, anteponat.
Qui enim suis cupiditatibus
terminum non statuunt, & fu-
tura præsentibus præferunt,
pluribus dignitatibus inhian-
tes, parum plerumq; profici-
unt, & sæpius repulsã damno-
sam patiuntur.

X C.

Aulici rudes, & stolide fero-
ces, etsi digni vituperio, attā-
men nullo flagitio contami-
nati, excusatione & venia sunt
prosequendi.

Sic

Sic viue tibi, sic alii, vt dicere
possit,

Te pacem homini, te vitio indicere
bellum.

XCI.

Aulici quamuis morum &
affectuum indicia premant &
occultent, erumpunt tamen
tandem, & se produnt,

XCII.

Magni aulici secessus sæpe
instituunt, quo intētius iram,
simulationem & secretos ani-
mi motus exercent, & me-
dicentur, & in alitudinem se-
condant; Occasione postea
oblata promunt, quæ in illa so-
litudine concoxerunt: quod
omnibus politicis & militibus
commune est, nec semper be-
ne succedit.

Nihil

XCIII.

Nihil miserius excogitari
fere potest, quàm aulicos stul-
tæ foeminae seruire. Fugiant
itaq; aulici foeminarum im-
perium, inprimis impruden-
tum,

CXIII.

Aulicus quicumq; magnum
aliquod facinus aggreditur,
antequam illud diuulgetur,
omnia ad id necessaria præpa-
rata habeat, vt supra.

XCV.

Inter offensiones aulicas, &
beneficia hoc interest: quod
simul & semel illas expedire,
& pro una vice conuenit, ne
nimirum irritentur animi ho-
minum, ex earum iteratione.

Bene-

Beneficia vero sensim, & sæpius sunt conferenda, & in plures vices compartienda, quo homines magis ea percipere quæstu & delectatione cum amore erga conferentem possint.

XCVI.

Aulico in mutatione regnorum & recepto nouo principe, obest plurimum nimia tristitia & nimia lætitia. Expediit ergo vultu composito esse, & dum salua fide & decore possis, apposite lachrymans, gaudium, quæstus & obsequia miscere. Vidimus exempla ante annos paucos.

XCVII.

Aulicus statuatur melius esse habere

habere, quam expectare secu-
ndum : & secundum Accursiū :
Melius unum tene tene, quam cen-
tum cape, cape. Potius igitur su-
 mat pecuniam paratam hone-
 sta mente, & repente, quam
 expectantiam vt vulgo lo-
 quuntur, lente.

XCVIII.

Aulicus semper famæ dare
 debet, quod ad munus acce-
 ptandum, vocatus electusq;
 accerserit.

XCIX.

Aulice, licet cum intimis
 tuis agas de Principe tuo, vel
 ipsius administratione, sem-
 per dirige verba in sensum ta-
 lem, qui non possit in peius de-
 torqueri.

D

Multi

C.

Multi aulici, fastus & pompæ gratia tantum, multis muneribus impertiuntur, quos secreto habent inuisos. Muneribus
~~itaq; ne fidas.~~

CI.

Aulici qui reliquos dignitate superant, nouo principi prius, successiue, qui sequuntur iuramentum præstare, debent.

CII.

Prudentis & cordati est senatoris aulici in iis quæ ad Rēpubl. pertinent, non vti consilio nisi suo, vel cum periculo offensionis.

CIII.

Experientia cognitum est,
 ob nis

ob nimium studiū prouehendū
 di amicos, ad dignitates & of-
 ficia, quosdam aulicos, res
 proprias turbasse, & euertisse
 Fugiant itaq; tales promotio-
 nes.

CIV.

Bonus vir aulicus semper
 exilium voluntarium libentius
 us voluit suscipere, quam quic-
 quam contra mortui Princi-
 pis ordinationem ante voto
 comprobata agere.

CV.

Cum amici tui aut socor-
 dia senescunt, aut per libidi-
 nes pessundantur: tunc, aulice,
 optima tibi affertur occasio,
 res tuas prouehendi, & illis ci-
 tra proximi incommodum re-
 sistendi.

CVI.

In aulis ad iniusta facinora
 exequenda, semper obtentui
 sumuntur iustæ causæ, vt hoc
 colore alii populi & tua facta
 comprobent, & an læsa sit res-
 publ. non solent argumentis
 probare, sed manifesta statim
 damna extare reipub. dicere.

CVII.

Ab una ad alteram naturam
 absq; requisitis mediis defen-
 dere, inutile & periculotum
 est aulico.

CVIII.

Improbi aulici suggerunt
 Principibus, vt hostes, quos al-
 lia ratione tollere nõ possunt,
 nuptiis propinquarum allici-
 ant, & sic subdola affinitate es-
 uertant,

Artis

CIX.

Artificioſa ſpecies expoſ-
brandi vicia alicui eſt in aulis
cum, quaſi cum excuſes, lo-
queris quem corrigis.

CX.

Quanto plus aulicus niti-
tur in ſermone vt ſenſus peni-
tius abdat, tanto magis in-
certum & ambiguum implica-
tur.

CXI.

Quando prudens aulicus co-
gnoscit ſe in offenſionē Prin-
cipis in aduertenter incidiſſe,
nil moretur eū quoquo modo
lenire: Recondunt enim alte
offenſas Principes, quas ſuo
tempore multo grauius ex-
promunt.

D 3

Iræ

CXII.

Irae implacabilis aulicæ est, ut verba omittat, tempus & occasionem grauitè lædendi expectet.

CXII.

¶ Preces Principis affinium, vxoris, matris, sororis, filia, & earum personarum, quæ in magno pretio sunt, plurimum efficaciam apud ipsum semper habent: ideo prudens aulicus, earum patrocinium & gratiam honestis meritis quærat.

CXIII.

Si negotio tuo & cause confociare aliquem velis aulice, id nulla ratione melius assequi poteris, quam illi tecum comune periculū ostendendo.

Aulici

CXV.

Aulici sub ebrentu confu-
londi Principem, possunt fru-
strari illos, quibus cum agunt.

CXVI.

Aulicus qui sibi odium &
inuidiam haberi vider, pro-
pter fauorem Principis, caue-
at æmulos: odia enim erunt
acriora.

CXVII.

Similitates inter aulicos
exortæ, bene sunt obseruan-
dæ: ne dum vni parti adhæres,
offendas alteram, vt supra.

CXVIII.

Non multa vno tempore
sunt petenda, ne Princeps ea
concedere grauetur aulico.

CXIX.

D 4.

Cum

Cum lex sit historiæ, vt veritas ante oculos habeatur gratia atq; odiis posthabitis, melius est historicum & politicum aulicum, si non fert ratio temporum, ab historia scribenda abstinere, quam eã turpiter mentiendo & adulando: quod plerosq; factitate Flavius Vopiscus scripsit maculare. Reipubl. enim interest, nequid omnino, nisi quod sit compertum & exploratum, in lucem exeat: & cascade ac virum animal vendatur.

CXX.

Aulicus parum fidei tribuat plerisq; concionibus funebribus, quas passim diuolgāt,

CUM

tum nugis Francken / Ettingeri / Gallobelgici / & similibus, quibus viuentibus turpiter imponunt, & posteritatem foede decipient: raro enim fit, vt non plus affectioni & nummis, quam veritati tribuant: & citius corniculas in Africa, quam aliquid solidæ veritatis in iis repereris. Puniantur æque omnes publica Imperii Constitutione.

CXXI.

Ars hæc est aliquorum qui maxime aliquid cupiunt, vt speciem recusantium induant, quo enixius rogentur, id suscipere, quod flagrantissime cupiunt, aulico more.

CXXII.

Nun-

Nunquam successor in officio aulico intermittat solita munia : nam eo non observato, serui & subditi lasciuunt, & politicus contemnitur in aula.

CXXIII.

Initia omnium principatum gratiarum sunt plena : & qui nondum confirmatus est in folio, omnium animos demereri solet, nihil alicui negando, quod in aulis malitiosè obseruant familiari rei augendæ operam dantes improbi aulici.

CXXIV.

Imperiti sunt, qui improbat in Politico aulico & in milite eloquentiam. Omnes enim
vere

vere politicos & milites memoria repetamus: inueniemus præcipuos fuisse eloquentissimos. Abiiciant ergo Aulici falsam hac de re opinionem, & quanta sit vis eloquentiæ, considerent.

CXXV.

In aulis sæpe quod preces non possunt in lite componenda, minæ operantur in principum ministris.

CXXVI.

Populi & multitudinis furor nemini, quamvis illustri & claro aulico, parcit: & sæpius in eos qui auctoritate pol-
lent accenditur: Cede itaq;
furori,

CXXVII.

D 6

Ad

Ad magna facinora perpe-
tranda nunquam non tenebre
noctis deliguntur ab aulicis &
militibus.

CXXVIII.

Aulici ad sedandos tumul-
tus aptissimi sūt illi, qui bonis
artibus grati in vulgus sunt,
qui quidem semper rari: dili-
genter itaq; ex aulicis eligen-
di.

CXXIX.

Aulicus qui vult compesce-
re seditionem, is quam celer-
rime tollat e medio capita ei-
us; & quidem prompto inge-
nio ad a superiora.

CXXX:

Aulicus qui populi studi-
um & fauorem possidere des-

D 7

fide

fiderat, is ante omnia ingenium ciuile, & comitatem præ se ferre debet.

CXXXI.

Muliebres dissensiones sæpe maritos inter se proximos accendunt & alienant. Negligat itaq; aulicus muliebres altercationes.

CXXXII.

Raro euenit, vt clarissimis parentibus geniti, magnos spiritus quasi hereditarie non gerant ac retineant aulici.

CXXXIII.

Aulici boni nouerunt, & vsus contra Machiauellū ostendit, priuatas subditorum discordias: nisi continua principis vigilantia extinguantur, ipsi &

68 A V L I C V S
p̄si & Reipubl. exilium parere.

CXXXIV.

Haud dubie quando sunt
res commotæ, potior habetur
is, qui audacia est magis prom-
tus in aula. *Crescit vegetum cor
simul atq; difficultas.*

CXXXV.

Cum tria sint vincula, quæ
homines a malefaciendo de-
terreant, Religio, pudor &
poena. vltimum, quod legibus
imponitur, firmitus est cæte-
ris duobus, in primis in aula.

CXXXVI.

Circumspecte laboret aulic-
us, vt peritiam morum prin-
cipes, cui inseruit, adquirat:
& princeps talem obseruet,
eiq; ne fidat omnia acta prin-
cipis probanti.

In

CXXXVII.

In aula cuius facta discordat
verbis, ei nunquam fidas iu-
ranti. quod enim loquitur, id
 temper sapiens debet agere,
 inquit Seneca. Verum: n. illud:

*Quæ non facias dicere, id est, quod es,
 nec esse,*

Nec, quæ facias dicere, fortis aut mo-
desti est.

CXXXVIII.

Coercendi sunt autem, et-
 si concionatores sint, qui vi-
 ros & foeminas procacibus scri-
 ptis & verbis ignominiosis dif-
 famant.

CXXXIX.

Viriliter agit ille, qui omni-
 bus in toedum seruitium & de-
 formem pestilentemq; adu-
 laris

lationem, meretricem aulicam lapsis, virtute & constantia solus aduersatur, iniquo aulicorum iudicio, & peruersæ opinioni.

CXL.

Quæ cum aliqua perturbatione in aulis fiunt, ea nec cōstanter fieri possunt, nec iis, qui ad sunt, probari prudentibus.

CXLI.

Quem tibi vis fidum esse aulicum, ei vt sis fidus stude: nam falso queritur se deceptum, qui prius alium decepit.

CXLII.

Aulici prauis, qui æmulum amouere cupiunt, eum sub specie

specie honoris bene a doctrina, iudicio & virtute commendatum aliò amandant, vbi res sunt perturbatæ.

CXLIII.

In aula res magni momenti quas principi exponere non possumus, eas per illos principi monstrare debemus, quibus cum illo maior est conuersatio.

CXLIV.

Vt aula est res vetustissima: sic vetus malum aulæ & reip: inesse recte Tacitus dicebat *adulationem, perpetuum malum* (Q. Curtio auctore: *principum, quorum opes sepius assentatio quam hostis euertit: & abundant*
 omnibus rebus in aula, excepta ve-

pta veritate. Quid Nero-
nem, castissime educatum
crudelem fecit? adulatio. Quid
Cæsarem contra patriam re-
bellare fecit? adulatio. Quid
Rehobaam Tyrannum fecit?
adulatio. In aula igitur vnus
Clytus præferendus sexcentis
Aristippis.

N.

CXLV.

Adulatio in aulis, etsi mul-
ta procreat commoda, tamen
semper est foedissima & inimi-
cissima existimationi, & tra-
ctu temporis infamiam affert:
Vitent itaq; bestiam istam ipsi
viri boni, qui sunt in aulis.

CXLVI.

Aulicus qui sperat se breui
aliquam dignitatem adeptu-
rum

rum cauere à superbiæ ostentatione; imo humiliter se gerere debet: sic enim & illius à quo dignitatē expectat, gratiam conseruabit, & communem aularum pestem inuidiam effugiet. Qui considerat secum, quàm omnis dignitas vana & instabilis, is nihil timebit.

CXLVII.

Aulicus quando quid à principe cōsequi studet, id ita potest, vt vnus ipsius principis neque cuiusdam gratia & beneficium consecutum se fuisse appareat, & illi soli acceptum id referat.

CXLVIII.

Qui in petendis pecuniis
raro

raro sibi ipsis ~~sciunt imponere~~
modum, aulici ab aula, tan-
quam auari & puras manus nō
habentes, remoueantur.

*Aurum lapide, est homines iudican-
tur auro.*

*Aurum ignis coquit, exprimit, efficitq;
pulum.*

*Auro coquitur, soluitur, impurus ho-
mo fit.*

In auaro enim simul concur-
runt cordis duritia, inquietu-
do mentis, violentia, fallacia,
periurium, fraus & proditio.
Rei familiari operam dare ho-
nestum est, sed turpiter id fa-
ciunt pleriq; aulici, qui neq;
certos fines ponunt: & cum
iniuria aliorū fortunas querunt
& amplificant, & in ipsā patri-
am, principem & amicissimos
iniurii sunt. Licet

CXLIX.

Licet Ludouicus xi. Rex Galliaē metu coactus suo medico opimum menstruum stipendium, videlicet decem aureorum millia dederit, tamen nunquam in animum inducat sibi aulicus, quod velit extorquere aliquid a principe, ac velut perfringere ærarium: siue det, siue neget petita, æquo animo vtrumque ferat. Est enim proverbium tritum, *In splendidissimis etiam epulis existere semper aliquos, qui minus bene tractentur.* Idem vsu venit in aula, dum alii quod volunt adipiscuntur: alii spe & expectatione decidunt.

CL.

Mani-

Manibus & pedibus, vt dicitur, laboret aulicus, ne videatur principi ignauus, & nullius ponderis: talem namque tanquam onerosum auersabitur. Sint itaq; utiles aulici, non tineæ & sorices palatii.

CLI.

Fallaces & versuti aulici quando rem aliquam disseminari cupiunt, per secreti socios, eam primum occultis sermonibus crebescere curent: deinde vago rumore apud imperitissimi cuiusq; aures, & rursus apud turbidos & noua cupientes: mox ipsi autores prodeant & extremam imponant manum. Quod ex Tacito

cilito

cilto sæpius, & nouissime feliciter practicatum scimus.

CLII.

Prudentiæ aulicæ & politice cognitio acquiritur varia lectione, continua actione, insigni experientia, longa ætate, peregrinatione, multorū populorum, aularum, & Rerū publ. contemplatione,

CLIII.

Prudens aulicus semper fit in occasionem paratus: sine ea enim virtus languescit & iacet.

CLIV.

Aulicus operam dabit, vt omnes principes aliquo officio colat, dummodo, non sint inimici illius, cui necessario in-

inferuit, alioquin illis inuisus redditur: &, si non omnibus potest obsequium præstare, saltem illos non contemnat, & talem euitet suspicionem: in tot enim humanis mutationibus potest is qui hodie rerum potitur, extingui, & alius, de quo non cogitaris, succedere.

CLV.

Aulicus apprime obsequiosus esse debet: eo enim ipso gratiam hominum colligit, & collectam retinet. Recte enim Tacitus inquit: *Quando quisq; promptior obsequio, tanto citius honoribus & opibus extolletur.*

CLVI.

Aulicus Politicus Reip. salutem

lucem

ludem anteponere debet om-
nibus priuatis commodis, af-
fectibus, iniuriis, a deo vt pri-
uata nihil æstimet.

CVII.

Quilibet prudens aulicus di-
scat, vt loquitur Annibal Sco-
tus, *crassum bibere*, perferat acer-
ba omnia, quousq; ad finē suū
perueniat, patiēter & recta via
ad dignitatem expētitam a-
scendat, iram & affectus corri-
gat, in primis in actionibus, &
multo rectius est vt agat, quod
agit, ubi animus deferbuerit,
Galeno authore, nec furor il-
le brutus ipsum occupet, tum
inueniet quod cū ratiocina-
tione pugnat.

CLVIII.

E

Qui-

Quicumque vult eminere
 aulicus in aliqua re, proponat
 sibi ad imitandum aliquem ex
 perfectissimis aulicis, cuius
 mores artemq; ambiat, & mul-
 tum efficiet breui tempore.

CLIX.

Etsi sumendi vltionem oc-
 casio optima sit in aulicis ini-
 mico, cum eius res sint dubiæ,
 tamen vir bonus & magnani-
 mus nunquam hoc commit-
 tere debet. Foedum spectacu-
 lum est homo: qui quid per
 vindictam & iram indecore
 seq; dignum gerit.

Magnanimo nihil nocetur.

*Ne vlciscere damnum: imo satis sit
 potuisse.*

*Ignoscere vindicta viro maxima for-
 ti est.*

Cum

CLX.

Cum á debiliore latere filium rumpatur, validiores in aulis nunquam sunt irritandi: non enim hodie vel heri hoc fieri incipit, inquit Thucyd., sed semper accidit, ut infirmior potentiori subiaceat.

CLXI.

Detestandi sunt malitiosi aulici & è medio tollendi, qui virum bonum, clarum, innocentem, non conuictum, imò ne quidem legitime accusatum, interficiunt, vel euertur, vel in carcerem coniiciunt, & postea sceleris & proditionis eundem incusant.

Ab iustitiæ tormina, vae foro bilin-
gui.

E 2

Vltio.

*Vltoris vbi flammea fulgetra Tonan-
tis?*

CLXII.

Aulici illi qui Remp: tur-
bare, bonos eiicere, & sum-
mam rerum tenere cupiunt,
socios sibi eos adiungunt, qui
antè honorum auidi, cresce-
re in Republica non potue-
runt.

CLXIV.

Cautus aulicus semper se
grauem in credendo & spe-
rando præstet, nec omnia pro
veris nec omnia pro falsis ha-
beat: sed aliquid minus credat
rerum illarum quæ promit-
tuntur in aula.

CLXV.

In aula res male se habet,
quando

quando est licentia deterri-
ma cuique excitandi impunè
probra, calumnias, & menda-
cia, inuidiamq; in mortuum
magistratum, & relictos viuos
ministros. CLXVI.

In negotiis principum au-
licum oportet insistere in in-
ceptis & destinatis. Parum e-
nim est res magnas recte ag-
gredi, nisi obstinate ad finem
vsq; eas prosequamur.

Nec temere incipio, nec cito desisto.
Multa enim, Liuius monente,
sicut non aggredienda, ita se-
mel aggressis non dimittenda.
Breuissimi enim temporis
inconstantia totius per sepe
vitę fidem auferre dicebat Li-
banius Sophista.

3 E

Præ-

Præclare actum est cum au-
lico si patitur propter exactā
obseruationem constitutio-
num præmortui principis, &
propter fidei confessionem:
potest enim cum Dauide ca-
nere:

*Vera facit, vt loquar, & pia dog-
mata spargam:*

*Hinc premo, & plagas probraq; mulo-
ta fero.*

Quid enim inquit M. Tul-
lius laudabilius, quam memo-
ria recte factorum & libertas
te, contentam negligere hu-
mana; Si secuta fuerit, quæ de-
bet fortuna, gaudebimus: sin
minus, ego tamen gaudebo:
quamuis qui fuerim, & qui es-
se potuerim, esse non possim.

Et

Et contemptus inde ortus, est
contēnendus ad recta vadēti.

CLXIX.

Operam dabit aulicus, ne,
dum alios in obsequio vince-
re studet, in adulationem tur-
piter prolabatur.

CLXX.

Gradu dignitatis deiecti for-
tius agunt, modo res familia-
ris patitur, vt in ocio priuato
degant, quam vt minores ho-
nores prioribus assumant, vel
principis inferioris aulā adeāt,
nisi talis potentio rem pruden-
tia & auctoritate superet.

CLXXI.

Prudens aulicus concordi-
am & amicitiam inter princi-
pem, fratres, sorores princi-

E † pis ge

pis generare potius studeat,
quàm dissensiones excitare.

CLXXII.

Aulicus verus inhonesta in
principis gratiam etiam quocun-
que velo vestita, ne expe-
diat, ne maiorum laudem &
propriam dehonestet. Erra-
runt enim valde, qui spe lucri
honorum vindictæ cupidita-
te, subdolis & proditoriis ar-
tibus emergere & crescere vol-
uerunt, & tandem proditio-
ne peracta, dignam mercedē
perfidia & proditionis tales
accepisse, infinite historię do-
cent,

CLXXIII.

Aulicorum improborū ars
est, aliud pretendēdo potentiā
sibi

fibi comparare, & res suas augere, omnes studiose fibi conciliare, senatorum maximam partem ambitu fibi adquirere : gynæceum corrumpere ad perscrutanda arcana; in quibus & similibus quæ proferri nō debent, præceptore vtuntur Seiano. Removeantur in tempore tales.

CLXXIV.

Aulicum improbum describit Tacitus: *Corpus aulico sit laborum tolerans, animus audax, sui obtegens, in alios criminator: iuxta adulatio & superbia, palam compositus pudor, intus summa adipiscendi libido, eiusque causa, modo largitio & luxus, sæpius industria ac vigilantia haud nimis noxiæ quoties parando regno finguntur.*

Bene

CLXXV.

Bene in aulis obseruentur
 aulici Medici: plerumq; enim
 male consci in conscientiam
 sumunt Medicum, vt Seianus
 Endemium amicū ac medi-
 cum Liuiæ, specie, arais, fre-
 quentem secreteris.

CLXXVI.

Primas aulice, dominandi
 spes vbi sis ingressus, adfunt
 tibi studia & ministri.

CLXXVII.

Vulgo iactata cum magna
 impudentia & infania, super
 id, quod nullo certo autore
 firmatur de viris principibus,
 prompte ab aulico sunt refu-
 tanda: vt multi debuissent,
 falsum, vanum & incredibilē
 rumo.

rumorem de optime quodam
principe sparsum.

CLXXVIII.

Aulicus tegat spem & fauo-
ris exordium, quo princeps
eum amplectitur, alioquin
perniciē, vel ad minus remo-
ram accelerabit,

CLXXIX.

Aulicus, quem recentia &
vetera odia premunt, impos-
sibile est, quod tandem non
evertatur: Qui itaq; sapit, vi-
deat vt conflata oxtinguat.

CLXXX.

Aulicus qui aliquem insie
mulavit criminis, quod respi-
cit personā principis vel Reip.
debet cogi ad accusationem
peragendam.

E 6 Auli

CLXXXI.

Aulicus cōuictus quod pecuniam ob rem iudicandam vel expediendam acceperit, remoueatur, ne in aulis principum præpotentes sint venales, & ne, dum prospere fruuntur gratia principis, male abutantur

CLXXXII.

Aulicus perfecte perdiscat naturam & ingenium principis, & quibus modis temperanter se habeat.

CLXXXIII.

Licet quisq; in Repub. tantū postulet, quantū habet virium: non ratio, non modus, nō lex, non mos, non officium valeat, non iudicium, non existimatio ciuium, non posteritatis

tis VC

tis verecundia: tamen aulicus
 eorum socordiam irridere de-
 bet, qui praesenti potentiae cre-
 dunt extingui posse sequentis
 aevi memoriam.

CLXXXIV.

Temporis iniuria quandoq;
 contingit, vt sit clamandū auli-
 co cum aliis:

*O demens, qui te terris Astræa requi-
 rit.*

*Aurea: tolle miser vultus ad sidera
 cæli,*

*Astræam cæli positam inter sidera
 cernes:*

Non terris quærenda latet.

Verum cum omnia vertantur,
 multi post multos annos
 sentient iustitiæ fructum, &
 iniustitiæ poenas. Patere itaq;
 & vinctes, Nam qui in aduersa
 fortu

fortuna tempus trahere potest, & ex varietate nunciorū & rerum contrari, aut prope-rare, is proculdubio se melio-ri tempori referuabit.

CLXXXV.

Aulici caueant ne secundū receptam opinionem homi-num cum Atheniensibus de articulis fidei statuunt, quan-doq; falsum zelum, & absque scientia prætendentēs.

*Sæpe seelus cælum zeli velamine te-
xit:*

*Cui zelus cælum est, non facit ille sce-
lus.*

CLXXXVI.

Vulgo aulicus raro vel nunquam adhæreat: Est. n. mon-strum terræ: Sunt sua monstra salo, sunt sua monstra solo.

Et ple

Et Plerunq; cum consiliis per-
ierunt, vulgi, & populi partes
defendentes, exemplo Grac-
chorū & Sp. Melii. *Proph. vulgus,*
pelagus, indeclinabile virus.

Recte & sapienter Scaliger:

Qui pēdet ab errore & opinione vulgi.
Pendet magis, atque arbore qui pen-
det ab alta.

Nam quod semel euenit & abiit, id
nocet nil.

At quod dubiis articulis stat, instat,
vrget.

Vanescit adest: esse malū id putabo solū

CLXXXVII.

Quod Plautus denotat, per
Epistolam scilicet aut per nū-
cium quasi regem adiri cum
aiunt: id maxime prudendi
aulico obseruandum. Debet
enim Epistola etiam præsen-
tem

rem adire, id est, ex dignitate
principis & utilitate aulici.

CLXXXVIII.

Aulicus nihil remittat stu-
dii, vt in cursu vitæ aulicæ a-
vertat principis de se suspicio-
nes, rumores vulgi & inuidiã.

CLXXXIX.

Aulicine gratiam collectã
effundant, tolent principem
suum ad vitam procul ciuita-
tis amœnis locis degendam
impellere, vt in manu habeãt
aditus, & arbitri sint literarum
siue libellorum supplicum, &
vitent, adẽta salutantiũ turba,
inuidiam. CLXXX.

Autoritas aulici valde au-
getur, si illa, quorum alioquin
nulla extant documenta, no-
uit

uit probare ex annalium memoria, historia, vatumq; carminibus,

CXCI.

Aulicus initium bonæ voluntatis & gratiæ amittit, si inopportuna hora principē adit.

CXCII.

Aulico non circumspecto sæpe solet esse causa euerſionis, si delegerit cultum principis exosum.

CXCIII.

Nulla est maior occasio adquirendæ gratiæ principis, quā si aulicus ostenderit re ipsa, propria vita sibi principem fuisse chariorem, & vt viuat princeps ipse maluerit mori.

CXCIV.

Improbi aulici, qui aliquem euer-

euer.

evertere studeat, scelestā
 via & calidissima uti so-
 lent: subdunt aliquem, qui
 miserum accuset, atq; illi
 interim partes iudicis as-
 sumunt, quasi mera equi-
 tate & jure, non affecti-
 bus impulsus iudicaturisint:
 à tali iudice libera nos Do-
 mine.

CXCV.

Mature & sensim eun-
 do aulic9 promotiones spe-
 ret

ret, nec nimium prope-
ret.

CXCVI.

Aulicus etiamsi ha-
buerit causam de prin-
cipe conquerendi, cave-
at tamen à vocibus con-
tumacibus & inconsultis.

Nam

Reverenter habee, quos su-
peri dant superiores

Fn

In se spuit, is qui spuit aduersus olym-
pum. Scaliger.

CXCVII.

Callidi & scelesti aulici etiã
in illos, quos colunt extrinse-
cus, semina futuri exitii medi-
tantur, & quãdo ad finem ope
amicorum peruenerunt, quem
sibi proposuerunt, proiiciunt.

CXCVIII.

Auaritia & superbia plerũq;
validorum aulicorum vitia.

CXCIX.

Aulici noscentes principis
ingenium, & qui illi continuo
adsunt, quicquid cupiunt, ob-
tinent, modo ne abutantur.

CC.

Aulicus totus a se, & virtu-
te sua pendere debet, & grati-
ofos

II A V L I C V S

ofos apud principem colere,
sed non penitus cum illis res
suas conferre & consociare.

CCI.

Aulici non debent secreta
aliorum rimari, ne dicantur
curiosi & audaces, vt Supra. Sy-
cophantarū enim natio, auto-
re Plutarcho, est de tribu &
familia curiosorum. Nam &
curiosi aliorum infelicitatem
in lucem proferunt.

CCII.

Euecto a principe ad opes
immensas & honores insignes,
obsequium & honorem tribu-
ere debemus, neque illum
contemnere tanquam novum
hominem, indignum & indo-
ctum, ne incurramus in odium
Prin-

Principis: si indignum talem
 fuisse exitus probauit, dica-
 mus cum illo apud Tacitum,
 tuorum consiliorum socium,
 tua officia in Republ. capes-
 sentem colebamus. Bonus ta-
 men vir & consiliarius auctor
 sit principi absq; metu vt bo-
 nos & exercitatos muneribus
 præponat. CCIII.

Antiochus ille qui bis ex-
 ercitus duxit aduersus Per-
 sas, in venatu feram sequens
 in casa pauperum, didicit: *Re-
 ges & Principes raro verum audire.*
 Nam studio est prauis aulicis,
 ne quid audiant nisi blandum
 auribus, vt supra.

CCIV.

Sinceri homines etsi simu-
 lare

lare nesciunt: tamen, in aula
degentes falsa fictaq; dogma-
ta simulationum, & multa ma-
la alioquin inermes & innoxii
in sinu aulicorum discunt et-
iam inuiti: cum præceptore
Tiberio ipsi Principes dissi-
mulationem diligant, iisque
sæpissime vtendum. Vfus si-
mulationibus etiam David
Rex & Propheta, & Ludoui-
cus XI. Rex Gallia, filium Ca-
rolū sciri Latine vetuit, præ-
ter illud: *Qui nescit dissimulare,*
nescit imperare. Sed tu cum Phi-
losopho.

*Nec dissimula, nec simula: hoc malis
relinque.*

*Ajunt: simulanti simulato: ast ego
contra*

*Nunquam simula: nec mala te malum
esse cogunt.* Si

Si aulicus magnitudinem
quæstum & auri famem spe-
ctauerit, nunquam fidem in-
tegram & puras manus habe-
bit sinceramq; mentem.

CCVI.

Aulicus qui salua & pura cō-
scientia & saluo existimationis
honore secundum temporum
conditiones varios mores po-
test inducere, & illis cum iudi-
cio vti, prosperū habebit suc-
cessum.

CCVII.

Aulicus cum exteris nego-
tia vix terminabit feliciter,
nisi mores patrios eo in loco
assumserit, quā diu ibi viuit.

CCVIII.

Aulici ex se nati, hoc est,
qui

POLITICVS. 115

qui propria industria ad dignitates ex scholis puerorum vel simili officina pervenerunt, sunt adversus superiores tristi adulatione, arrogantes minoribus, & inter pares difficiles deprehenduntur & pertinaces.

CCIX.

Aulicus prudens animum Principis erga se mutatum, & crescere invidios agnoscit, discedendi ex aula honestam dimissionem mature petere potest, honoribusq; cedere, quam expectare, donec eiciatur.

CCX.

Polybius sapienter dicit in aula Principum non tantum

F vitu.

vituperando, sed etiam laudando saepe fieri bonis calumniam, & ejus tantum virus est, ut afflatu suo statim inficiat & exanimet multos: cum sit, Luciano definiente, accusatio ejus qui in indicio non comparet, quique de illa non cognoverit, ut ab accusatore solo allata fuit: ita accepta & credita, omni facultate respondendi adempta reo.

CCXI.

Nihil in aula Principum periculosius est magnatibus & proceribus, quam calumniatores bonorum: cum vero calumniae assistant, teste Luciano, ignorantia, suspicio, livor, invidia, fraus, principes
sapis

fapiant, & sint circumſpecti,
ne viri boni & optime de Re-
pub. meriti ab illa vaſtra bel-
lua lanientur.

*Ne prius audieris ambos, ne cernito
litem.*

CCXII.

Ambitioſus aulicus procul-
dubio eſt cenſendus, qui præ-
textu Regiæ dignitatis ampli-
ficandæ, omnia pro animi li-
bidine adminiſtrat, veteres
officiarios etiã probatos abſ-
que ratione mutat, alios in eo-
rum locum ſubſtituit.

CCXIII.

Aulici in quorum poteſta-
te eſt Princeps, & ex quorum
voluntate gerit omnia, quam-
diu boni ſunt, neq; immode-

F 2 rata

rata affectant, bonis consiliis
& salutaribus Reipubl. inno-
tescere possunt.

C C X I V.

Aulici matrimonia oblata
a Principe non prudenter re-
cusant, imo semper Principis
consensu contrahant.

C C X V.

Aulicus vacuus æmulatione
reliquis in consiliis & acti-
onibus præferendus est, plusq;
ipsius sententiæ tribuendum,
quam reliquorum, quorum
affectus sæpius a recta ratione
deflectit.

C C X V I.

Aulicus fugiat dignitates,
ad quas sine scelere perveniri
non potest, non enim sunt fe-
lices & diuturnæ. VI.

C C X V I I.

Vitellius aulicus quo gratiam Agrippinæ pararet, consiliis ejus se implicavit. Quod observent aulici studiose, & fugiant.

C C X V I I I.

Improbi aulici quacunq; arte & pacto possunt, student, ne Principis defuncti liberi, quem læserunt & contumeliis affecerunt ducatum, absque difficultate adipiscantur, cum ultio ex filiis sit timenda: Removeantur tales ex aulis Principum.

C C X I X.

Quod politicus aulicus aggredditur sive pacis, sive belli tempore cultu vultuq; quam

F 3

maxi-

maxime ad rem expediendam
accommodato, aggrediatur.

CCXX.

Didius senectute gravis &
multa copia honorum, per mi-
nistros agere & arcere hostem
satis habebat. Quod notan-
dum, ne egregii Duces, Auli-
ci, Politici, Iurisconsulti exi-
stimationem multorum anno-
rum cursu acquisitam amit-
tant momento unico.

CCXXI.

Incertæ sunt res Potentium;
igitur aulicus propriæ virtuti,
non aliis fidat.

CCXXII.

Erat Cappadociæ procus-
rator Iulius Pelignus, ignavia
animi, & deridiculo corporis
iuxta

juxtà despiciendus, sed Clau-
dio perquam familiaris, cum
privatus olim conversatione
scurrarum iners otium oble-
ctaret: Noli itaq; mirari ine-
ptissimos quandoque in aula
fieri magnos.

CCXXIII.

Tales si gratia & potentia
Principum fruuntur, cuncta
malefacta sibi impune licere
existimant.

CCXXIV.

Agrippina Statilium Taurū
opibus illustrem pervertebat.
Cautè igitur locupletes aulici
vel subditi cum principibus
versentur, ne cogantur dicere,
Villa mea me perdidit.

CCXXV.

F 4

Do.

Dominationis cupidi aulici, cuncta regno, decus, pudorem, veritatem, corpus & animam viliora habent: Tales non patiatur aula.

CCXXVI.

Xenophontis Medici exemplo & scelere tum Imperatoris Bajazetis Medici edocti, colligimus magna facinora opere Medicorum in aulis peragi: Itaque non nisi pii vocentur, ut supra.

CCXXVII.

Aulicus ne agat id inscio Principe, ex quo invidia in principem queat redundare.

CCXXVIII.

Aulicus ne eum lædat cuius fratres & propinqui vltiores

res

res sunt metuendi , scribat in
marmore , non in pulvere læ-
dens.

C C X X I X.

Prudentes & boni aulici in
pari potentiaē societate con-
cordes esse possunt.

C C X X X.

Aulicus res quas aggredi-
tur exactissime cogitare & ru-
minare debet , vt bonum exis-
tū mediis aptis adhibitis for-
tiantur.

C C X X X I.

Aulicorum consilia cum
sint, Guicciardino teste, venas-
lia , curet princeps vt in aula
nihil venale , ambitioni , aut
corruptionibus pervium sit.

C C X X X I I.

F 5

Au-

Aulicus ne ex eo spiritus summat, quod beneficio principis honores & opes cumulate accepit: quia sæpe interno affectu Princeps eum odit, cui multa confert.

CCXXXIII.

Aulæ magistri & Principum juvenum Præceptores conuere debent ad aliqua in illa ætate, quæ cum nullius injuria fiunt, ut in cæteris rebus majoris momenti, illos regere queant.

CCXXXIV.

Semper relinquatur limen illius aulici, qui in Principis odium incidit: infortunatus aulicus tales observet, & in priorem statum positus talibus ne fidat. Patriæ

P O L I T I C V S. 125

CCXXXV.

Patriæ necessitas, amplitudo nominis, & opum copia exigit ut aulicus equos alat: & quo quis est generosior, eo libentius in generosum animal docile ad pugnam, & idoneum ad defensionem corporis, sumtus facit.

CCXXXVI.

Aulico futuro imprimis peregrinationes necessariae sunt: ut in militi futuro, ut alienis moribus perspectis, cautiores efficiantur usu rerum, & linguarum cognitione instruantur, & speculum mortalium teneant, in quo, qualis sit hæc vita, in via ad aliam cernitur,

CCXXXVII.

F 6

Prus

Prudens aulicus nunquam
exuat pristinum obsequium,
eujus gratia locum tenet, ne
sua negligentia aliis & novis
aperiat viam.

CCXXVIII.

Prudentis aulici est inimici
consilia in contrarium verte-
re, & media quibus vtitur, oc-
cupare.

CCXXIX.

Quamvis inimicorum astus
in aulus intelligamus, tamen
non semper conducit id ipsam
aperire, sed melius, ad tempus
aliquod dissimulare.

CCXL.

Aulici indigna & muliebri
est defensio ministri, in primis
in causa religionis, qua culpā
in

in principis iussionem rejicit :
 ut enim ex aula expectat, mo-
 re nonnullorum Professorum
 in Academia menstruam fi-
 dem habentium quid debeat
 credere, ita nihil constanter
 & sincere aget in reliquis o-
 mnibus.

CCXLI.

Aulicus fugiat amores. Fa-
 ma enim iis perditur, pecunia
 exhauriatur, salus foeminae ar-
 bitrio committitur, & vigor
 ingenii amittitur: *Vbi sum, ibi
 non sum: vbi non sum, ibi est animus,*
 inquit Plautus, cum amantis
 anima sit in re amata. In sum-
 ma inquit Petrarch.

*Sò com' e inconstante, vaga,
 Timida, ardità vita degli amanti:*

*Ch' vn poco dolce molto amare appa-
ge.*

E' l breuissimo rife, e i iunghi pianti.

CCXLII.

Aulicus a seruorum fami-
liaritate, filios abducat. nil. n.
ex cōtubernio seruili, nisi ab-
iectum & sordidum oritur.

CCXLIII.

Ars est detestanda multo-
rum aulicorum, qui aliter cre-
scere nō possunt, ut ad poten-
tiam principum adipiscendam
laudent sororum vel uxorum
formam & elegantia, ut Prin-
cipem accedant, & hoc modo
sibi devinciant.

CCXLIV.

Principem aulicus longe
fugiat qui malam suscipionē

con-

concepit, & omnia dicta & facta in deterius accipit.

CCXLV.

In aula ratio quæstum & erogationum inter se probe congruere debent.

*Si anni videas circuitū explere volati
Summas rationes, tabulas diariorum:
Et paria simul cōfieri: æquare vicissim
Sumptum potes admittere, præstare
tamen, si*

In subsidiis est aliquid tibi repostum.

CCXLVI.

Qui apud principem viget & præpollet, omnium aulicorum, si potest fieri, animos & benevolentiam sibi compareret, ne tempore gratiæ effusæ, habeat mutuis odiis sibi inimicum.

CCXLVII.

Auli.

Aulico forti & strenuo,
terra potest in qua vivat, non
in qua præclare moriatur, de-
esse. *Vn belle morir, tutta vita ho-
nora.*

CCXLVIII.

Ad sublevandum metum,
ejus qui male de te in aula su-
spicatur, ars est bona, Cornæ-
lio teste, blandimenta, illece-
bræ & honoris oblatio. Qui
vincere adversarium ex tuto
cupit, beneficiis & gratia cer-
ret bona.

CCXLIX.

In aula magna & factionū
plena potentis aulici amici,
mors infringit focii autorita-
tem, præsertim si bonis arti-
bus ambo fuerint præditi &
prin

princeps ad deteriora inclinet.

CCL.

Aulici omnes aut natura sunt facti, aut ita edocti & exercitati, ut velent odium fallacibus blandimentis, & porrigant obviam euntibus sine corde manus.

CCLI.

Seneca interrogatus, qua ratione ad extremam ætatem in aulo vivendo pervenisset: respondisse fertur, Injurias accipiendo, & gratias agendo. Hoc dicat aulicus, vel aulam tempestive relinquat.

CCLII.

Causa cur multi aulici nullos progressus faciant, in eo
con=

consistit, quod spectent diver-
sas spes, & nulli firmiter ad-
hæreant patrono.

C C L I I I.

Prudens aulicus nunquam
voluptatibus principis, si mo-
do honestæ sint, adversetur:
nam a gratia excidet, & fru-
stra se opponet.

C C L I V.

Aulicus non tam verbis
quam silentio quærere debet.

C C L V.

In aulis infrequens non est,
at non semper tutum, ut auli-
ci secretis criminationibus in-
cusent alios, videant ergo quæ
incusent: nam sæpe validius
ab incusato aliis criminibus
accusantes repelluntur.

Pec

C C L V I.

Peccamus aulici plura, dum demeremur, quam dum offendimus.

C C L V I I.

Semper Vatinius in aula invenitur corpore detorto, facetiis scurrilibus, primo in contumelias assumtus, deinde optimi cujusque criminationem, ut gratia, pecunia & vi nocendi pessimos superet.

C C L V I I I.

Ars est improborum aulicorum qui Principis gratiam colligere student ut inquirent studiose quibus sit princeps infensus, eosq; postea apud ipsum variis criminationibus accusent; uti Senecæ accidit.

La

CCLIX.

In aula si princeps duos pluresve suspectos habeat, tum debent illi, exemplo Senecæ, mutuos sermones & colloquia crebra intermittere.

CCLX.

Aulicus studeat facetiis, ovis more, non apri, nec, dicunt Itali, ludas in eo, quod dolet: nec dicteria, de vero proferas. Aspere enim facietiae, & quæ multum ex vero traxere acrem sui memoriam relinquunt.

*E' schernisce il zoppo dee essere dritto.
Te respice: quid quoties objicis cuiquam,*

Irrisio regerit eò se, vnde ducit ortur.

CCLXI.

Auli-

P O L I T I C V S. IV

Aulicorum captivorum
delicta probanda sunt, ne di-
cantur innocentes ob invidi-
am vel metum extincti.

CCLXII.

Stulti sunt aulici, qui vete-
res opes luxuriose consumunt,
sub spe divitiarum de novo
adquirendarum.

CCLXIII.

Cautus & prudens aulicus,
etsi a Principe parum aestima-
tur & diligitur, nunquam ta-
men indignationem contra
eum ostendere, sed obsequium
ubiq; exhibere debet.

CCLXIV.

Miserum est in aulis, & ra-
ra temporum felicitas, sentie-
re quæ velis, & quæ sentias di-
cere.

CCLXV.

Imo & in iis pietatem quæ concernunt: Debent aulici a supervacanea tamen rerum inutili inquisitione, & Phraſium innovatione in ſacris abſtinere, & ſimul præcavere, ne novorum magiſtrorum & hominum de templo levitarem reſpondendo & ſubſcribendo probent, ac iniquitatis & inquisitionis ſocios & executores ſe præſtent.

CCLXVI.

Aulici concionatoris eſt diſſidentem placare ut fratrem, monere ut hominem, objurgare ut errantem, & humanitatis ſparſo fale argumēta contradicentis caluere: ſed hodie, Vi

*Vi procerum suppleant cum verba probantia desunt,
Textaq; cum debent solvere crura, ligant.*

CCLXVII.

In occupandis regnis, vere nihil salubrius, quam pro milite uti verboso concionatore aulico, is plus efficiet calumniis, mendaciis, quam miles armis. Confirmant hoc Iesuitarum actiones in obsidione Parisiensi. Sic nunquam Georgius a Kunstat Podibradius, regnum Bohemiæ obtinuisset, si non velo religionis & buccinatores Roikizano, Sacerdote utus fuisset, neque infrequens est apud alios. Quod tamen consilium, bonus vir aulicus

aulicus non semper suppeditet principi.

CCLXVIII.

Natura excellentem aulicum semper præferas tantum arte exculto: Natura namque semper perfectius agit, & si quæsieris cui majorem laudē tribuere debeamus, naturæ an arti, natura, ut ille inquit, decreto quodam tacito vindictas feret. Ars tamen certior dux est.

CCLXIX.

Aulicus actam ætatem & per multos annos cum dignitate continuum vitæ ordinem non facile, etiam molestum, potest deserere.

Aulis

CCLXX.

Aulicus qui ob adversario-
rum criminationes Principis
odium incurrit, requirat sta-
tim objecta & expurgaturum
se affirmet, si notitiam crimi-
num & copiam diluendi ha-
buerit, ut supra.

CCLXXI.

Reperiuntur homines in
aulis novis, qui cuncta curant
afferri venalia, ut inde lucrū
gapiant, qui in exordio guber-
nationis cum mercatoribus
expellendi sunt.

CCLXXII.

Prudens aulicus diligenter
apud se pensitet, quem & qua-
lem pro intimo amico, & etiā
ministro recipere velit. Nam

G sæpe

sæpe pro amico & ministro
venalem & eum testē pro
ditoremq; cognoscimus.

CCLXXIII.

Aulici liberius in conviviiis
differentes quantum fieri po-
test, famulos excludant.

CCLXXIV.

Gratiosi aulici quanto po-
tentiores, tanto erunt invisio-
res nisi auctoritatem humani-
tate muniverint: ea si non ex-
tinguere, minuere tamen po-
terunt invidiam.

CCLXXV.

In aula semper novorum
Principum ministri sunt dis-
cordes, & quis primas teneat,
in diversas factiones scindun-
tur: cui malo in tempore oc-
currendum, Istum,

CCLXXVI.

Istum, aulice, inter reliquos
caveto, qui rei faciendæ gra-
tia, nunc huic, nunc alii factio-
ni adstipulatur.

CCLXXVII.

Princeps licet aulicum pro-
prio affectu diligat, tamen stu-
deat simul habere validum
patronum, qui principis vo-
luntatem in sui favorem ac-
cendat, ut supra dictum.

CCLXXVIII.

Aulico parum refert quo-
modo a cæteris æstimetur,
dummodo Principi pruden-
ti, qui illum sublimare & ex-
altare potest, probetur: prout
fertur Stephanum regem Polo-
niæ Magno cancellario, tunc

temporis Castellano, more
majorum stanti dixisse: Faci-
am ut brevi possis sedere.

CCLXXXIX.

Raro in aulis simplex ser-
mo invenitur, Galba cum Pi-
sone loquente teste: Ego &
tu, dicebat, simplicissime ho-
die loquimur: cæteri libenti-
us cum fortuna nostra, quam
nobiscum.

CCLXXX.

Aulici qui noluerunt alicui
dignitatem quandam voto
suo conferre, effusius cæteris
euecto gratulantur & gaude-
re se simulant.

CCLXXXI.

Aulicus etiam in habitu,
incessu & ornatu suo, mul-
tū

tum adhibere debet curæ, ne
ex his congruis vel incon-
gruis oriatur laus vel vitupe-
rium.

CCLXXXII.

Aulicus semper consilia &
actiones sequatur, quæ nobis
honestatem, æmulo invidiam
adferant.

CCLXXXIII.

Mendaciorum aulicorum
in primis hæc est natura, ut
quando incipiant, primum
vagus & incertus rumor spar-
gatur, mox crescente mendac-
cio, præcipui quidam cum
concionatoribus affirmant,
quod ipsi nesciunt, ut ita po-
pulo credulo imponant. Res
ut clarior fieret, posset proba-

ri exemplo recenti, at valde odioso.

CCLXXXIV.

Plurimi aulici callidi, audaces, prompti prout animum intenderint, pravi aut industrii sunt, eadem vi.

CCLXXXV.

Non sufficit aulicum extra vitia esse, si non & cum virtutibus sit ad hoc, ut gratiam & auctoritatem in aula adipiscatur.

CCLXXXVI.

Aulicus famæ nec fit incuriosus nec vendicator, pecuniæ alienæ non appetens, suæ parcus, publicæ avarus.

CCLXXXVII.

Ars mira est in aulis eludendi

di

di vulgus, quod coercere non possis, ut si necem alicujus vel captivitatem flagitat injuste, iram simules, & majora te facturum affirmes, interim illum calamitate & supplicio eximas.

C C L X X V I I I.

Quod IC. Callistratus respondebat, id cur ad aulicos non transferatur, causa nulla est. Aulicos quoslibet, in ulteriorem familiaritatem provinciales non debere admittere, cum ex conversatione æquali, contemptio dignitatis nascatur.

C C L X X I X.

Aulicus auctor sit Principine disputationes frequentes

G 4

pub.

publicas & altercationes in
causa religionis permittat.

*Nam servare modum laus est, nimi-
umq; movendo*

In dubium trahitur religiosa fides.

CCXC.

Aulicus perversus scit nie
hil esse compendiosius quam
aqua turbida piscari.

CCXCI.

Magnus aulicus det ope-
ram ut erga Principem ser-
mone utatur reverenti, de se
moderato, nihilque in vultu
habituq; mutet.

CCXCII.

Graves aulici debent len-
to gradu incedere & tarda
voce uti.

CCXCIII.

Auli-

Aulicus si negotium ma-
gni momenti cum Principe
habet tractandum, id deferat
auribus ejus, nullo alio nego-
tio defatigatis, ne labor vel sit
imperfectus, vel inanis.

CCXCIV.

Omnis aulicus, oportet, ut
sit natura & arte compositus
alliciendis hominū moribus:
sic enim facilius negotia ad
finem perducet.

CCXCV.

Aulicus ubi occasio se o-
stendit, in qua ipse ingenii &
doctrinæ vim palam citra ja-
etantiam ostendere potest,
semper ea uti debet, confide-
rate.

CCXCVI.

G 5

Ita

Ita in aulis plerunq; comparatum est, ut honor imperii penes Principem, vis & potestas penes ministrum aliquem, quantivis precii sit, ut in Sicia-
no & Proculo videndum.

CCXC VII.

Prudens aulicus caveat, ne in moræ ægritudinem & ipsi impatientiam dilabatur: licet talis sit herba patientia, quæ adferat infinitis mortem.

CCXC VIII

In aula, bello & tota humana vita spes & præmia in ambiguo sunt, certa funera & luctus: unde eruditissimus & eloquentissimus vir, condimentorum aulicorum non expers dixit:

Vita

Vita quid est hominum, nisi spes incerta,
ta, metusq;

Hæc inter dubii, vivimus & morimur.

Item:

Vita quid est hominum? spes & formido futuri:

Multum tristitiæ, letitiæq; parum.

CCXCIX.

Aulicorum ministrorum mos est, apud Principem, ut sua quisq; facta extollat, etiam (ut dicebat eximius quidam Politicus vir, magni nominis & summæ eruditionis) in lepore capto, falso vera aut majora vero miscens.

CCC.

Consuetudo servitii cum Principe exigit, ut etiam pro injuriis agantur gratiæ.

CCCI.

In aulis magnos progressus non faciet contumeliæ insolens, & ludibrium ferre nesciens. Patienter itaq; hanc vitã & viam conterat, ut supra.

CCCCII.

Miseræ aulae Principum, in quibus nemo probitate & industria neq; doctrina certare, sed iter solum ad potentiam & dignitates arripere quilibet conspicitur.

CCCCIII.

Improbi aulici præfecturas & alia officia vel bona nõ obtinentes, solent iniquam iracundiam flagitiosa perfidia vleisci: quod nonnullis Theologis quoque infrequens non esse,

esse,

esse, exempla probant.

CCCIV.

Semper iuvabit aulicum
potentes sequi, & vincens
vestigis insistere, si honeste
fieri potest.

CCCV.

Ab aulico, quæ apud Prin-
cipem infami gratia adqui-
runtur, læta ad præsens, male
parca, mox in perniciem ver-
tuntur.

CCCVI.

Aulici debent voluptates
propriam & curas ex sanitate
vel ægritudine Principis vel
remittere, vel intendere, &
mortuo principe, non ut The-
ologus quidam superbus, be-
ate mortuo optimo principe,

Te Deum laudamus canere, sed debito modo deplorare secessum immaturum.

CCCVII.

In improbo aulico patefacit avaritiam, superbiam, ac omnia occulta vitia, felicitas. Mirum itaq; non est, quod ad summum eVecti nimia felicitate fruentes evertantur.

CCCVIII.

Callidi aulici solent specie obsequii regere principem, præsertim si princeps locordis ignaviae & simplicis naturæ ostenditur.

CCCIX.

Aulicus ad omnia quæ agenda sunt, quieta cum industria accedere debet, & sine jactan-

jactantia, actis, ocioso similis.

CCCX.

Turpe est quidem dictu,
at ita radicitus introductum
omnium aularum proprium,
ut dona nobis aditum ad gra-
tiam, favorem & officia ape-
riant. Qui est perfectus auli-
cus & prudens, debet potius
carere & officio & gratia, quā
eo pacto colligere.

CCCXI.

Is dicitur mos aulicorum in
curiis principum, teste Zasio,
ut neminem frustra promove-
ant: & promissum iis solven-
dum est, nisi summum vendi-
derint. Prudens aulicus hunc
morem improbet & fugiat; ra-
ro enim expedit.

Nihil

CCCXII.

Nihil est quod aula det
absq; argento: *Navigat infelix,*
qui caret hujus ope: & ipsæ ma-
nus impositiones & Spiritus
sancti dona venduntur, teste
Ænea Silvio: nec peccatorum
venia nisi nummatis in aula
Romana impenditur.

CCCXIII.

Aulici sapiunt, qui accepto
beneficio aliquo aulae valeant
cunt; ostendunt enim ani-
mum expletum esse, & se pe-
riculo subtrahunt: Quia in
Curiales frequenter accidit,
Ænea Silvio monente, ut ve-
luti fues ubi saginati sunt, in
cœnam Domini mactentur.

CCCXIV.

Quod

Quod etiam eo modo neq;
injuria fieri potest, ut subdu-
cta ratione, & calculo institu-
to, quid in aulam attulerint,
quid dotis forsan, stipendii &
gratiæ loco annuatim habue-
rint, reliqua tanquam ablata,
restituant: inprimis quando
juniores principes sunt sub
cura.

CCCXV.

Qui opes magnas adepti
apud Principes perseverant
aulici, non eo fine manent, ut
gratias referant: sed vel tuto
abire nequeunt, vel nondum
auro repleti sunt: Et vitam
quam sciunt esse malam, mu-
tare non possunt.

CCCXVI.

In

In aulis si deessent Thra-
sones, in vanū clamarent Gna-
thones.

C C C X V I I.

Aulicus ita quærat opes,
quasi de iis non admodum sit
solicitus, cum divitiæ plerum-
que comitentur indignos, A-
ristotele authore: & divites
vel sint impii & iniqui, vel i-
niqui hæredes.

C C C X V I I I.

Aulicus non est laudandus,
ut neq; alius qui multa cupit
& paucā aggreditur: oportet
namq; animum & opera con-
venire, si quis commendari
postulat.

C C C X I X.

Aulicus non ita animo fe-
di-

P O L I T I C V S. 157
dimittat & spem abjiciat, si
statim princeps cui inservit,
illum beneficio non ornet: nā
differtur aliquando tanquam
majora merito.

CCCXX.

Aulici probi solam rationē
præviam & honestatem in cō-
siliis habere debent, sequatur
qualis qualis eventus, nihil
ducentes. Callidi vero in ser-
mone ac in vita sunt ita com-
parati, ut ex eventu rerum ad-
versa abnuant, vel prospera
cognoscant.

CCCXXI.

Aulicus cum variis hominū
num generibus tractaturus,
varie etiam se gerat, quod fa-
cile poterit, si naturam & mo-
res

res

RES APPLICVS.

res hominum noverit.

CCCXXII.

Aulicorum pestiferum genus est, qui rei faciendæ causa, falsum pro vero confirmant, laudantq; quæcunq; honesta ac inhonesta, audiunt a Principe, gynæceo & vulgo laudari, & in aures Principum, fictæ & simulate, ut Cicero loquitur, insusurrant: & rursus iis vituperantibus, vituperant laudanda, polypi ad speciem, non colorem, sed animum ratione soli, mutant, & conscientiam venditantes, quæ patrefacta gignit vermiculos immortales: speciosa & munda tanquam facies pulchra animæ, gratiam Dei conservat.

Im-

CCCXIII.

Improbi & indocti aulici,
 ut melioribus & doctoribus
 viam præcludant, sempiterna
 memoria dignos, ne emer-
 gant, quacunque possunt arte
 premunt: malitia enim, calu-
 mnia & mendaciis nunc cele-
 brant pro sua libidine bonos
 & improbos viros, a quibus
 bonus, cautus, optimus vendi-
 tur Princeps.

CCCXIV.

~~Aulicus & miles inter cæte-~~
 ra etiam in eo differunt, quod
 miles soleat ut plurimum a-
 perte ac simpliciter simulta-
 tes exercere, idem habet in
 ore, idē in corde: contra, auli-
 cus fingit, simulat, decipit et-
 iam

am, si occasio patitur. Pacis
itaq; tempore nudum & me-
rum militem evertet aulicus.

CCCXXV.

Aulicus caute se gerat, tam
circa offensas acceptas, quam
aliis illatas, & ab utroque ho-
minum genere se tectum ser-
vabit.

CCCXXVI.

Aulicus ne in antipitia in-
cidat, sciat in rebus dubiis mul-
tos consilium dare, paucos vel
nullos partem periculi sume-
re.

CCCXXVII.

In aulis stat in occulto in-
vidia & avaritia: adulatio &
ambitio in aperto. Claudia-
nus:

Trus

*Trudis avaritiam, cujus fidissima nu-
trix*

*Ambitio, quæ vectibus fo-
ribusque potentum excubat
ad invidiam amoliendam, ne
tamen descendas ad viciorum
irritamenta,*

CCCXXVIII.

Inter prudentis aulici nu-
meratur indicia, loqui de ab-
sentibus principibus, semper
tanquam essent præsentibus: sæ-
pe enim nonnulli sermones
inducuntur artificiose, de ali-
quibus principibus, ut præbeant
occasionem obloquendi.

CCCXXIX.

Modestia & ignobilitas sunt
mali comites in aula, ut & in
bellis. Caveat itaque aulicus ne
nimia

nimia modestia, quæ vulgo
frigiditas appellatur, labore-
 erit enim ex sententia Taciti
 præmiorum expers. *Malus est*
minister regii imperii, pudor.

CCCXXX.

Magnus semper erit auli-
 cus, qui præstat se cunetis vitæ
 officiis æquabilem, opum con-
 temtorem, recti pervicacem,
 & constantem adversus me-
 tus,

CCCXXXI.

Prudens aulicus nunquam
 aliquem accuset vel crimine-
 tur, cū dubia in hoc est volun-
 tas Principis: frustra enim a-
 get, & perniciem sibi adqui-
 rot.

TINUS

CCCXXII.

Tutus ubiq; manes si calliditate vale-
lis.

Non est simplicitas digna favore ma-
gis.

CCCXXIII.

In sententiis ambiguis, quæ
contra Principis prudentis vo-
tum profers, directoque cur-
runt, cōvenit quiescere, quam
argere.

CCCXXXIV.

Aulæ sunt plenæ fallacibus
amicitiis & occultis insidiis,
quæ latent in simulatione of-
ficii, aut in aliquo necessitudi-
nis vinculo.

CCCXXXV.

Aulici varia prædandi vo-
cabula adinveniunt in perni-

Hicm

ciem subditorum, quæ admittere fisci vel ærarii causa, non debent Principes. Fiscus enim nunquam male habuit, nisi sub bono Principe.

CCCXXXVI.

Sicut prata humorem: sic aulicus honores, & miles prædam semper sitit.

CCCXXXVII.

Is aulicus artifex in politicis censendus est, qui variarum rerum & linguarum cognitione, religionis, historiarum, juris, politics, consilio firmo, lingua disertâ, & calamo expedito instructus est. Sit sermone blandus, stilo gravis, calamo excellens, arte politus, vestitu splendidus,

cons

conviviis magnificus.

CCCXXVIII.

Aulicus etiam in jure excellenter versatus, ne facile partes advocati (alioquin Impp. rescrip. nobilissimas & amplissimas) assumat his moribus, propter auctoritatem & dignitatem conservandam, tum propter favorem multorum retinendum. Cum illa pestis Europæ caninum illud studium, propter abusum concessum *latrocinium* vocetur: & nulla causa sit tam sordida, tam injusta, tam vulnerata, imo nefanda, impia, scabie, lepra, & omni vitiorum genere depravata, quæ non habeat emunctores

nummorum, egregios patro-

H 2 nos

nos & defensores. Fugiat no-
men & rem; cum mercenario-
rum more hodie conducantur
annuatim paucis nummis, ad
jurisprudentiam nullo precio
nummario aestimandam, tra-
ctandam, imo constapran-
dam. Insuper recte Imperator
Iustinianus constituit, ne quis
audeat in uno eodemq; tem-
pore tam advocatione uti, quā
consiliarii cujuscunque magi-
stratus, quibus respublica ge-
renda committitur, curam ar-
ripere: cum satis abunde suf-
ficiat vel per advocationem
causis perfectissime patroci-
nari, vel assessoris officio fun-
gi; ne, cum ad utrumq; festi-
nat, neutrum bene peraget,
sed

sed si advocatus esse maluerit, hoc cum debita solertia implere possit: vel, si assessionem elegerit, in ea videlicet permaneat.

CCCXXIX.

Aulicus magna sibi per xenia & munera planiciem sternere, & offendicula amovere potest: quo medio uti quandoq; ob depravati seculi conditionem, necesse est: quod tamen non pugnat cum superioribus.

CCCXL.

Aulicus an ipse xenia accipere possit, quaeritur: Et cum Antonino Imperatore respondemus: οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε πᾶσα πάντα, neque omnia, neque

H 3

quo-

quovis tempore, neque ab omnibus.

Nam valde inhumanum est,
 a nemine accipere, sed pas-
 sim vilissimum, omnia avaris-
 simum.

CCCXLI.

Laude digni illi sunt, qui
 a privatis & pauperibus nihil
 in primis justiciæ promovende
 causa: sed a Principibus
 oblata grata mente accipi-
 unt: detestandi & intestabi-
 les, qui justiciam & veritatem
 vendunt.

CCCXLII.

Aulico stipendium inte-
 grum ante tempus definitum,
 remoto vel dimisso, ex cog-
 niti juris dispositione debetur:
 Remotus propter culpam non
 perdit

perdit ex sententia ICtorum
salarium præteritum, sed fu-
turum.

CCCXLIII.

Iuvenes & tyrones in au-
lis loco semper posteriore po-
nantur: nec enim patimur,
inquit Imp. Honorius, quem-
quam celsiorem gradum ob-
tinere, nisi cui & laborum as-
siduitas & stipendiorum pro-
lixitas suffragantur, & Arca-
dio & Honorio rescribenti-
bus: *Honoris augmentum non ambi-
tione, sed labore ad unumquemq. con-
venit devenire.*

CCCXLIV.

Aulicus ne gloriosus ap-
pareat coram principe, & ac-
cepta omnia Principi referat,

H 4 &

& in loco magnorum ne steterit; melius enim est, ut dicant tibi, Ascende huc, quam ut humilieris coram Principe, quem viderunt oculi tui.

CCCXLV.

Noli aulicis Consiliariis dare vinum: quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas, inquit Salomon: nec militibus, quia Agrippinenses largis epulis vinoque sopitos, Germani clausis foribus, igne injecto, cremavere.

CCCXLVI.

Novum Principem adhuc ministris & contubernalibus vacuum, primo occupare solent callidi aulici & sacerdotes, sub spe magna, pietatis & utilis

utilitatis prætextu.

CCCXLVII.

In aulis usitatissimum est differre in alium diem petitiones oblatas: quod etiam Roboam solenne fuit, dicenti: Ite usq; in tertium diem, & revertimini ad me: is qui petit, illam dilationem animadvertens, intermittat suadeo: vel enim nullum, vel gratum accipiet responsum: licet nullum responsum, sit, & habeatur in aula tanquam responsum.

CCCXLVIII.

Quemadmodum Mucianus quod diu occultaverat, tandem ut recens expromsit: sic aulicus non statim, quod in animo habet, proferat, sed

H s com-

AULICVS.

commodam occasionem ex-
pectet.

CCCXLIX.

Aulicus ab initio statuatur si
recte egerit, laborum aulico-
rum præmium esse sapere &
pœnitere. juxta illud,

Contrivi misere miser tot annos

Gustando mala, gratias agendo,

Sperando, ingenueq; seruiendo,

Tantum mihi præmium laborum

Sunt, sapere, atq; pœnitere:

Si perverse & prave, collectas
opes, non profuturas hæredi.

CCCL.

Miserum quod est: & mise-
rius quod fratres illi scriptum
reliquerunt Anglicani:

*Vitam, anonas, operam, sumtus im-
pendimus aulis,*

Præmia pro meritis, quæ retributa
pntas?

Aula

P O L I T I C V S. 177

*Aula dedit nobis rescripta, notata pa-
pyro*

*Et sine mente sonos, & sine corde
manus.*

*Paucos beavit aula, plures perdidit:
Sed & hos quoque ipsos, quos beavit,
perdidit.*

CCCLI.

*In aula: Adulatur Venien-
tes, Lamentantur Abeuntes.*

CCCLII.

*Aulicus sapiens quando
depræhendit sibi plus prudenti-
æ, auctoritatis, gratiæ, virtutis
& aliarum dotium a Deo
datum, ac aliis, tunc cogitet,
tanto magis se obligatum, ad
juvandum proximum: & Pa-
piniano docente, interesse ho-
minis, hominem beneficio af-
fici.*

H 6

Au.

CCCLIII.

Aulicum vix dixeris, in quo non concurrunt virtutes animi & corporis, studium agendi, cogitationes illustres, mores elegantes, actiones magnificæ & verba pura.

CCCLIV.

Principem suum aulicus ne extra modum laudibus ornent: quemadmodum enim prudentes offenduntur si culpari viderentur, sic etiam quando præter rationem laudaveris. Lauda omnia parce.

CCCLV.

Quemadmodum medicus in infirmitate curanda, vel membro sanando diligenter prospicit, ne adhibitis medicamen-

eamentis aliud membrum læ-
datur: Sic aulicus auctor sit
Principi ut ita curet Rempubl.
ne conservando unam par-
tem, alteram destruat, in pri-
mis in exigendis & congeren-
dis pecuniis:

CCCLVI.

Turpe est aulico omnium
regionum, in quibus ipsi ver-
sandum est, ignorare conditi-
onem & statum: Principum
potentiam, scientiam Consilii-
ariorum, familiarum originē,
insignia in primis nosse debet.
Aulicus doctus dici debet:

*Non qui multa tenet: sed qui scit ido-
nea vitæ:*

*Hic dici doctus cur mereatur, ha-
bet.*

H 7

Simis

Similiter quotnam habeant
Principes arces, præfecturas,
silvas, piscinas & similia: et
iam quos exercitatos in arte
militari, in aliisq; scientiis.

CCLVIII.

Multi superstitiose inqui-
rentes existimant totius or-
bis Christiani monasteria esse
225044. & Germaniam ha-
bere 52. Episcopatus. Abba-
tias 63. Præposituras 120. Cō-
mendaturas 22. Galliam ve-
ro 100. Archiepiscopatus. 650
Abbatias. 2500. Prioratus,
1700000. Turres. At si quæ-
raris quot arces, quot civita-
tes bene munitas, quot bo-
nos viros in quolibet scientia-
rum

rum genere habeat Europa,
multos esse multos deprehenden-
des.

CCCLIX.

Aulici ne sint Athenien-
ses, hoc est, ne sciant quod est
rectum & justum tantum, sed
etiam faciant:

*Quid iuvat innumeros scire atq; evol-
uere casus,
Si fugienda facis, & facienda fu-
gis? Ion.*

CCCLX.

Aulicus si omnia exacte
observarit, quæ in libris pru-
dentum scripta sunt, memor
tamen sit Psalmi, in quo
Davidis sententiam hisce
versibus Illustrissimus Prin-
ceps ac Dominus, Dominus
Mau.

Mauritius, Landgravius Hafs-
 ſiæ, inter literatiſſimos, po-
 tentiſſimus, & inter potentiſ-
 ſimos literatiſſimus Heros,
 expreſſit:

*Qui Domino fedit, felici navigat vnda:
 Fidere principibus, ventus & aura
 levis.*

Et jam prorſus calumniis
 ejectus & invidia ſuppreſſus,
 valedicat non tantum aulae,
 ſed univerſo mundo immun-
 do, repetens viriliter illud:

*Feci quod potui: potui quod Chriſte
 dedisti,*

Improba fac melius, ſi potes, invidia.

Totusque ſit in piis lectio-
 nibus & meditationibus ſa-
 eris, magno animo vanitatem
 mundi irridens, dicat;

Invenit

*Inveni portum, spes & fortuna va-
lete:*

*Nil mihi vobiscum est, ludite nunc a-
lios.*

Postremo ut breviter cum
verbis Bernhardi concludam:
*Tunc invenisti sapientiam, si mala tua
præterita defleas, si præsentia hæc bo-
na parvipendas. si futura bona toto
cordis desiderio concupiscas.*

Mundo enim & aulæ secu-
re nemo confidere potest, ut
summa eloquentia Antonius
de Guevara in tractatu de vi-
ta privata demonstrat, & ma-
jori cum zelo sacra Scriptura
inculcat: *Filioli, ne diligite mun-
dum, neque ea quæ in mundo sunt:
si quis diligit mundum, caritas patris
non est in eo: quoniam quicquid est in
mundo, Cupiditas carnis & libido o-
culo-*

130 **A U L I C V S**
culorum, & fastus vitæ, non ex Pa-
tre, sed ex Mundo est.

Porro mundus præterit & capi-
ditas ipsius: Qui vero præstat volun-
tatem Dei, manet in æternum.

Eleganter Widebramus
canit:

Vita viatoris, quasi transitus, omnia
finem.

Quæcunque immundus mundus ho-
norat, habent.

Transit honos, virtus, fortuna, pecu-
nia transit:

Mente Deo similis, corpore transit
homo.

Transivere patres, simul hinc transi-
bimus omnes:

In cælo patriam qui bene transit, ha-
bet.

Ex aulicus itaq; transito-
rius operam det ut ex hac au-
la immunda & lubrica, in
mua-

mundam & æternam transire,
& in futura vita dies æternita-
tis invenire possit.

F I N I S.

*Vanitas vanitatum, &
omnia vanitas.*



M. D. XCVI.

P O L I T I C V S

IN TERTIA VICE DIES ELECTORALIS

Hala Saxonum,

Typis Wolfgangi Meisneri,
Impensis Iohannis Franci, Bi-
bliopolæ Magdebur-
genfis.



ANNO

M. D. XCVI.





Handwritten title, likely the name of the work, appearing as a faint blue ink stamp.

Handwritten text, possibly a subtitle or author's name, appearing as a faint blue ink stamp.

Typis Wolfgangi Merlino
Impensis Johannis Francisci
Bishoppe Marckburg.
Handwritten text, likely the printer's name and location, appearing as a faint blue ink stamp.

Large, faint blue ink stamp, possibly a library or ownership mark, covering a significant portion of the page.

ANNO
M. D. C. CVI
Handwritten date, appearing as a faint blue ink stamp.









38 15
K 14

AB 38 15
K 14

(X220486 7)



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
								
								